



PA 6296

.D15

1839

Copy 1







M. TVLLI. CICERONIS. DE. DIVINATIO-  
NE. LIBRI. DVO.

EIVSDEM. LIBER. DE. FATO.

CUM CODICIBUS HARLEIANIS CONTULIT

ATQUE EMENDAVIT

HENRICUS ALANUS, HIBERNUS,

IDEM QUI NUPER CICERONIS RECENSUIT ETIAM NATURAM DEORUM.

LONDINI, APUD B. FELLOWES. MDCCCXXXIX.

PA 6296

. II 15

1839

DUBLINII:

IMPENSIS EDITORIS EXCUDEBAT

R. GRAISBERRY.

## PRAEFATIO.

---

176

QUAESTIONI de Natura Deorum adeo penitus conjuncti erant duo loci, de Divinatione, de Fato, ut, quum praeclaros illos tres libros de natura deorum conscripsisset, senserit Cicero, nequaquam illi quaestioni satisfactum esse, nisi has appendices adjecisset. Atque ego, quum illis libris laborem meum aliquantum profuisse mihi persuaderem, volui etiam hos opera mea restitutos atque emendatos legi.

Codices de Divinatione Museo Britannico contuli (jam olim anno 1833.) Harleianos tres, fragmentum praeterea Regium. Harl. primus (N. 2511.) multas habet lectionis novitates ex pertulantia librarii ortas, plures quidem aliquanto quam ego operae pretium putabam exscribere; sed etiam lectiones omnes fere easdem habet quas Moseri cod. S (qui est Monacensis, olim Salisburgensis), eamdem etiam lacunam lib. II., ubi a cap. 56. extr. usque ad c. 60. med. desunt omnia. Secundus (4662.) passim lacunosus est. Nec tertius (5114.), verum ut fatear, quidquam habet quo possit magnopere se commendare. Saeculi XV. sunt omnes. Regius (15. C. IX.) continet nonnisi lib. I. capita 19. priora, et constanter fere cum Harl. I. consentit.

Libri de *Fato* habet sane Bibliotheca Harleiana MSta exemplaria duo, N. 2678. et 4865.; sed utique alterum etiam ex impresso codice descriptum est, quippe etiam commentario Georgii Vallae instructum; ut hoc plane ex manuscriptorum numero tollendum sit: alterum jam aliquatenus contulisse videb

tur Joannes Davisius. At si hujus codicis (nempe N. 4865., quem unum in commentario Harleianum dico) copiam habuit vir doctissimus, nae paeclaram ille rei gerendae occasionem oblatam sibi omisit. Quippe hujus ipsius codicis ope lacunam ego septem verborum explevi, cap. 19. extr. Neque minore beneficio hunc librum de Fato me arbitror affecisse, ab eodem Harleiano admonitum, si quidem, quum omnes ἀκέφαλον esse credant, docui nihil in principio deesse.

Ceterum ad res ipsas quod attinet, quae his in libris tractantur, etsi numquam mihi proposueram ipse eas attingere, in contextu Ciceronis restituendo, in Latinitate illustranda satis ego occupatus, tamen forte fuit mihi lubenti Catalogum Auctorum conficere, quo duce aliqua tenus uti possit si quis curiosius illas persequi velit. Mihi satis est si potuit labor meus integritati Ciceronis ac literis Latinis prodesse.

Dublinii, Cal. Juniis, MDCCCXXXIX.

M. TULLII CICERONIS  
DE DIVINATIONE  
LIBRI DUO.

ΑΓ. ἔσται τάδ', ὡναξ. ἀλλά τοι τὰ μάντεων  
ἐσεῖδον ὡς φαῦλ' ἔστι καὶ ψευδῶν πλέα.  
οὐδὲ ην ἄρ' ὑγιὲς οὐδὲν ἐμπύρου φλογὸς  
οῦτε πτερωτῶν φθέγματ'· εῦηθες δέ τοι  
τὸ καὶ δοκεῖν δρυιθας ὠφελεῖν βροτούς.

\* \* \*

τί δῆτα μαντευόμεθα; τοῖς θεοῖσι χρὴ  
θύοντας αἰτεῖν ἀγαθὰ, μαντείας δὲ ἐὰν  
βίον γάρ ἄλλως δέλεαρ εὑρέθη τόδε,  
κοινδεῖς ἐπλούτησ' ἐμπύροισιν, ἀργὸς ὡν.  
γνώμη δὲ ἀρίστη μάντις ή τ' εὐβούλια.

ΧΟ. ἐς ταῦτὸ κάμοι δόξα μάντεων πέρι  
χωρεῖ γέροντι τοὺς θεοὺς ἔχων τις ἀν  
φίλους ἀρίστην μαντικὴν ἔχοι δόμοις.

EURIP. HELEN. 744.

M. TULLII CICERONIS  
DE DIVINATIONE  
LIBER PRIMUS.

---

I. VETUS opinio est, jam usque ab heroicis ducta temporibus eaque et populi Romani et omnium gentium firmata consensu, versari quamdam inter homines divinationem: quam<sup>1</sup> Graeci μαντικὴν adpellant, id est, praesensionem et scientiam rerum futurarum. Magnifica quaedam<sup>2</sup> res et salutaris, si modo est ulla; quaque<sup>3</sup> proxume ad deorum vim natura mortalis possit accedere. Itaque, ut alia nos<sup>4</sup> melius multa, quam Graeci; sic huic praestantissimae rei nomen nostri a divis; Graeci, ut Plato interpretatur, a furore duxerunt. Gentem quidem nullam video neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem tamque<sup>5</sup> barbarem, quae non significari futura, et a quibusdam intellegi praedicique posse censeat. Principio Assyrii, ut ab ultumis auctoritatem repetam, propter planitatem magnitudinemque regionum, quas incolebant, quum coelum ex

1. Quam Graeci μαντικὴν adpellant.] I. e. eam autem Graeci μ. appellant. Neque enim hoc quoque istius opinionis est; et frustra Creuzeri codex in margine appellant. Infra Cod. Rehdig. apud Moserum praescientiam, frustra: vide nos ad N. D. i. 5.

2. Magnifica quaedam res.] Davisius quidem: pro qua lectione censem Hottingerus illud posse afferri, quod, dubitationem innuens, accommodationi videatur illis, si modo est ulla. Sed particulae si modo plerumque ex altera cogitatione accedunt, neque tam dubitationem augent, quam ipsae dubitationem injiciunt. Simul perinde pergit oratio

quasi nihil intercessisset. Et quaedam turgentur nostri codices omnes. Ceterum operaे pretium est in his negligenter appositionem animadverte-re: nam profecto debebat Cicero potius divinationem quam opinio respicere, ut scriberet utique magnificam quamdam rem et salutarem.

3. Quaque proxume ... natura mortalis—.] Sic recte Davisius ex ed. Marsi et cod. Eliens, pro quaque proxima ... natura mortali. In rem confert idem Pacuv. apud Gell. xiv. I., “Si qui, quae eventura sunt, provideant, aequiparent Jovi.”

4. Nos melius multa.] Cf. Tusc. i. I.

5. Tamque barbarem.] Dav. atque, frustra,

omni parte patens atque apertum intuerentur, trajectiones motusque stellarum<sup>6</sup> observitaverunt<sup>7</sup>: quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriae prodiderunt. Qua in natione Chaldaei, non ex artis sed ex gentis vocabulo nominati,<sup>9</sup> diuturna observatione siderum, scientiam putantur effecisse, ut praedici posset quid cuique eventurum et quo quisque fato natus esset. Eamdem artem etiam Aegyptii longinquitate temporum innumeralibus paene saeculis consequuti putantur. Cilicum autem et Pisidarum gens, et his finitura Pamphylia, quibus nationibus praefuimus ipsi, volatibus avium cantibusque, ut certissimis signis, declarari<sup>10</sup> res futuras putant. Quam vero Graecia coloniam misit in Aeoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam, sine Pythio, aut Dodonaeo, aut Hammonis oraculo? aut quod bellum susceptum ab ea sine consilio deorum est?

II. Nec unum genus est divinationis publice privatumque celebratum. Nam, ut omittam ceteros populos, noster quam multa genera complexus est? Principio, hujus urbis parens Romulus, non solum auspicato urbem condidisse, sed ipse etiam optumus augur fuisse traditur<sup>11</sup>. Deinde auguribus et reliqui reges usi, et exactis regibus, nihil publice sine auspiciis<sup>12</sup> nec domi nec militiae gerebatur. Quumque magna vis videretur esse et in impetriendis<sup>13</sup> consulendisque<sup>14</sup> rebus, et in monstris interpretandis ac procurandis, in haruspicium disciplina; omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset ullum<sup>15</sup>

6. *Trajectiones motusque stellarum.*] Nempe vagantium, quae dicebantur.

7. *Observitaverunt.*] Frequentatam formam e codd. recepit Davi-  
sius: utitur ea Cicero etiam infra  
c. 45.

8. *Quid cuique significaretur.*] Nempe trajectioni et motui stellarum. Dativus autem pro ablativo positus est, more Graeco. Cf. *Virg. Aen.* i. 440., "miseretur viris, neque cernitur ulli." h. e. ab ullo. *Ovid. de Trist.* v. 10. 37., "Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli." Quamquam apud ipsum Nostrum non desunt exempla: *ad Fam.* i. 9., "Numquam enim praestantibus in repub-  
lica gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permancio." *De Off.* iii. 9., "Honesta enim bonis viris, non occulta, quaeruntur." Ce-  
terum ad rem recte contulit Hottin-  
ger, c. 41. infra, "Etruria autem de coelo tacta scientissime animadvertis-

eademque interpretatur, quid qui-  
busque ostendatur monstris atque  
portentis." Sed frustra idem scri-  
bendum *quid quoque* censebat.

9. *Nominati.*] Harl. 2. *nuncupati.*

10. *Declarari.*] Harl. 2. *declarare*, nempe augures.

11. *Traditur.*] Harl. 1. *creditur.*

12. *Nihil publice sine auspiciis.*] Cf. *Liv.* i. 36., vi. 41., *Cic. de Leg.* ii. 12. extr., infra c. 16 et 43.

13. *Impetriendis.*] *Vulg. impetrans:* illud reponendum monuit P. Manutius ad c. 16. infra; ubi vide.

14. *Consulendis rebus.*] Frequens est *consulta* (*consultae res*) pro *con-  
silia*: vide ad *Sallust. Jug.* cviii. 6.

15. *Ne genus esset ullum divina-  
tionis.*] Nullum ut genus divinationis  
neglectum ab iis videatur. Nempe  
haec scriptoris ipsius animadversio  
est. Harl. 1. *ne g. u. div. esset;*  
*Regius esset div.:* ergo fortasse in-  
sitia est vox *divinationis*.

divinationis, quod neglectum ab iis videretur. Et quum duobus modis animi, sine ratione et scientia, motu ipsi suo solo et libero incitarentur; uno furente<sup>16</sup>, altero somniante: furoris divinationem Sibyllinis maxume versibus contineri arbitrati, eorum decem interpretes delectos e civitate esse voluerunt. Ex quo genere saepe hariolorum etiam et vatum furibundas praedictiones, ut Octaviano bello Cornelii Culleoli, audiendas putaverunt. Nec vero somnia graviora, si qua<sup>17</sup> ad rem publicam pertinere visa sunt, a summo consilio neglecta sunt. Quintam memoria nostra templum Junonis Sospitae L. Julius, qui cum P. Rutilio consul fuit, de senatus sententia refecit ex Caeciliae Balearici filiae somnio.

III. Atque haec, ut ego arbitror, veteres rerum magis eventis moniti, quam ratione docti, probaverunt. Philosophorum<sup>18</sup> vero exquisita quaedam argumenta, cur esset vera<sup>19</sup> divinatio, collecta sunt: e quibus, ut de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes, unus<sup>20</sup>, qui deos esse diceret, divinationem funditus sustulit. Reliqui vero omnes, praeter Epicurum balbutientem de natura deorum, divinationem probaverunt; sed non uno modo. Nam quum Socrates omnesque Socratici, Zenoque, et ii, qui ab eo essent profecti, manerent in antiquorum philosophorum sententia, vetere Academia<sup>21</sup> et Peripateticis consentientibus; quumque huic rei magnam auctoritatem Pythagoras jam ante tribuisse, qui etiam ipse augur vellet esse; plurimisque locis gravis auctor Democritus praesensionem rerum futurarum comprobaret: Dicaearchus Peripateticus cetera<sup>22</sup>

16. *Uno furente, altero somniante.*] Conjecit Schuetzius *furentes, somniantes*: sed scriptoris negligentiam tolerandam arbitror.

17. *Si qua—.*] Ita cum Davisio scribo quidem: sed *si qua pro si quae accipio, non utique ratione intelligo.*—Supra Harl. 2. *Ex quo saepe genere.*

18. *Philosophorum . . . argumen-*  
ta.] Harl. I. *Librorum.*

19. *Cur esset vera divinatio.*] Suspecta Ernestio fuit vox *vera*; nam de existentia divinationis sermonem esse. Et sane abest ea ab Harl. 2. Sed recte monet Creuzerus, non hoc quaeri, utrum vates sint, *i. e.* homines, qui futura se augurari posse profiteantur, sed an vere profiteantur.

20. *Unus, qui . . . diceret, . . . sus-*

*tulit.*] Solus, quum deos esse fateatur, divinationem esse negabat.

21. *Vetere Academia et Peripateticis consentientibus.*] Reponit Davisius *veteri Academiae P. cons., frustra*: cf. c. 39. infra.

22. *Cetera . . . sustulit, somniorum . . . reliquit.*] Cf. *pro Arch.* 8., “*Ceterarum rerum studia . . . arte constare; poëtam natura ipsa valere.*” *pro Mil.* 2., “*Evidem ceteras tempestates . . . semper putavi Miloni esse subeundas, . . . in iudicio vero . . . numquam existumavi—.*” et *ibid.*, “*Obtestabor vos, judices, si cetera amisimus, hoc saltum nobis ut relinquatur.*” et c. 30., “*laetari ceteros, lugere eum solum.*” Adde infra ii. 49., *Sallust. Catil.* 44. ubi nos plura, *Horat. Od.* iv. 6. 5., *Juv. xiv. 107.*

divinationis genera sustulit, somniorum et furoris reliquit. Cratippusque<sup>23</sup> familiaris noster, quem ego parem summis Peripateticis judico, isdem rebus fidem tribuit, reliqua divinationis genera rejicit. Sed quum Stoici omnia fere illa defenserent, quod et Zeno in suis commentariis quasi semina quae-dam sparsisset, et ea Cleanthes paulo uberiora fecisset; accessit acerrumo vir ingenio Chrysippus, qui totam de divinatione<sup>24</sup> duobus libris explicavit sententiam, uno praeterea de oraculis, uno de somniis: quem subsequens, unum librum Babylonius Diogenes edidit, ejus auditor; duo Antipater; quinque noster Posidonius. Sed a Stoicis, vel princeps<sup>25</sup> ejus disciplinae, Posidonii doctor, discipulus Antipatri, degeneravit Panaetius: nec tamen ausus est negare vim esse divinandi, sed dubitare se dixit. Quod illi in aliqua re, invitissumis<sup>26</sup> Stoicis, Stoico facere licuit, id nos<sup>27</sup> ut in reliquis rebus faciamus, a Stoicis non concedetur? praesertim quum id, de quo Panaetio non lique-ret<sup>28</sup>, reliquis ejusdem disciplinae solis luce<sup>29</sup> videatur clarior. Sed haec quidem laus Academiae praestantissimi philosophi judicio et testimonio comprobata est.

IV. Et enim nobismet ipsis quaerentibus quid sit de divinatione judicandum, quod a Carneade multa acute et copiose contra Stoicos disputata sint<sup>30</sup>; verentibusque, ne temere vel falsae rei vel non satis cognitae adsentiamur, faciendum vide-tur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumen-tis comparemus, ut facimus<sup>31</sup> in iis tribus libris, quos de natura deorum scripsimus<sup>32</sup>. Nam, quum omnibus in rebus temeritas

23. *Cratippusque.*] Dav. *Cratippus quoque*, frustra: vide commentar. nostr. *de usu Copularum* iii. 22.; adde *Rupert. ad Tacit. Ann.* ii. 37.

24. *Qui totam de divinatione—.*] Harl. 2. *de divinationibus.*

25. *Vel princeps.*] Recte ita Harl. 2., quum habeant plerique libri *principibus.*

26. *Invitissumis Stoicis.*] Harl. 1. *invitis summis Stoicis*: vide ad *N. D.* iii. 34., *Qui . . . felicissimus habebatur.*

27. *Id nos ut . . . faciamus . . . non concedetur?*] Cod. Balliol. *id nobis*; quod frustra probat Davisius: vide ad *N. D.* iii. 6. extr., “*Tu si audisse te dicis, credam?*

28. *De quo P. non liqueret.*] Re-

cipio *liqueret pro liquet ex Harl. I. et Monacensi.*

29. *Solis luce.*] Cf. *de Fin.* i. 21., “*Ea, quae dixi, sole ipso illustriora et clariora sunt.*” apud Hottinger. Adde *pro Mil.* 2., “*insidiae hac luce clariores.*”

30. *Quod . . . disputata sint.*] Voluit Rathius *sunt*, perperam, etsi habet istud Harl. 1.; vide ad *N. D.* ii. 9. extr.

31. *Ut facimus.*] Ita Davisius; alii *fecimus*: elegantius illud.

32. *Quos de n. d. scripsimus.*] Harl. 1. et Regius *praescripsimus*, quod olim etiam in S. Victoris codice reperit Gulielmus; melius Monacensis apud Moserum *perscripsimus*. Similiter variant libri *de Fin.* iv. 22. s. f.

in adsentiendo errorque turpis est<sup>33</sup>, tum in eo loco<sup>34</sup> maxume, in quo judicandum est, quantum auspiciis rebusque divinis religionique tribuamus<sup>35</sup>: est enim periculum, ne aut, neglectis iis, impia fraude; aut, susceptis<sup>36</sup>, anili superstitione obligemur.

V. Quibus de rebus et alias saepe, et paulo accuratius nuper, quum essem cum Q.<sup>37</sup> fratre in Tusculano, disputatum est. Nam, quum ambulandi causa in Lyceum venissemus, (id enim superiori Gymnasio nomen est) Perlegi, inquit ille, tuum paulo ante tertium de Natura Deorum: in quo disputatio Cottae, quamquam labefactavit sententiam meam, non funditus tamen sustulit. Optume vero, inquam: et enim ipse Cotta sic disputat, ut Stoicorum magis argumenta confutet, quam hominum deleat religionem. Tum Quintus, Dicitur quidem istuc, inquit, a Cotta, et vero saepius: credo ne communia jura migrare<sup>38</sup> videatur: sed studio contra Stoicos disserendi, deos mihi videtur funditus tollere. Ejus orationi non sane desidero, quod<sup>39</sup> respondeam: satis enim defensa religio est in secundo libro a Lucilio; cuius disputatio tibi ipsi, ut in extremo tertio scribis, ad veritatem est visa propensior. Sed quod praetermissum est in illis libris, credo quia commodius arbitratus es separatim<sup>40</sup> id quaeri deque eo disseri, id est, de divinatione,

33. *Nam quum . . . turpis est.]* Harl. 2. *sit turpis;* recte, si sequeretur *tum in eo turpissima est*, vel si hoc posterius membrum aliquo modo per se plenum atque perfectum esset, ut *tum in eo loco maxume fugienda est:* vide ad *N. D.* i. 1.

34. *Tum in eo loco maxume.]* In ea quaestione: infra ii. 1., “perpurgatus est *is locus* a nobis quinque libris.” et *ibid.*, “Quintus (*liber*) eum *locum complexus* est, qui totam philosophiam maxime illustrat.” et paulo post, “In quibus (libris) omnis ejus *loci* quaestio continetur.” adde c. 57.

35. *Quantum . . . tribuamus.]* Quantum nos tribuere oporteat.

36. *Susceptis.]* Cf. infra ii. 40. et 54.

37. *Cum Q. fratre.]* Harl. 3. delet *Q.*

38. *Communia jura migrare.]* H. e. transsilire, transgredi: cf. *de Off.* i. 10., “Quaeque pertinent ad veritatem et ad fidem, ea *migrare interdum* et non servare fit justum.” *Communia jura* autem recte inter-

pretatur Hottinger. *religionem, sacra, et caerimonias a majoribus institutas, conferens N. D.* iii. 2., et infra ii. 72. Sic, pro *communi jure*, e conj. emendabat Turnebus, e codd. edidit Gruterus, et deinde Davisius. Tamen vet. Edd. lectionem restituentem censem Moserus, interpretans, “*ne communi Academicorum jure* contra omnia disputandi *migrare*, h. e. decidere, *videatur*: quippe qui . . . rationibus aliorum confutatis, rem tamen ipsam . . . veram esse posse concedant.” Frustra: nam quomodo mos iste Academicorum Latine *commune jus* dici posset? Adde quod nullo modo abesse poterat, id quod recte judicat etiam Orellius, vel *Academicorum vel vestro, vel suorum.*

39. *Non sane desidero, quod respondeam.]* I. e. non mihi deest quod respondeam. Dedi *quod pro quid cum Ernestio, accedentibus etiam codicibus Moseri tribus.*

40. *Commodius . . . separatim.]* Vide *N. D.* iii. 8.

quae est earum rerum quae fortuitae putantur praedictio atque  
praesensio; id, si placet, videamus quam habeat vim, et quale<sup>41</sup>  
sit. Ego enim sic existumo: si sint ea genera divinandi vera,  
de quibus accepimus quaeque colimus, esse deos: vicissimque,  
si dii sint, esse qui divinent.

VI. Arcem tu quidem Stoicorum, inquam, Quinte, defendis,  
si quidem<sup>42</sup> ista sic reciprocantur; ut et, si divinatio sit, dii sint,  
et, si dii sint, sit divinatio: quorum neutrum tam facile, quam  
tu arbitraris, conceditur. Nam et natura significari futura sine  
deo possunt: et, ut<sup>43</sup> sint dii, potest fieri, ut nulla ab iis divinatio  
generi humano tributa sit. Atque ille, Mihi vero, inquit,  
satis est argumenti, et esse deos, et eos consulere rebus hu-  
manis, quod esse clara et perspicua divinationis genera video<sup>44</sup>.  
De quibus quid ipse sentiam, si placet, exponam; ita<sup>45</sup> tamen,  
si vacas animo, neque habes aliquid, quod huic sermoni prae-  
vertendum<sup>46</sup> putas. Ego vero, inquam, philosophiae, Quinte,  
semper vaco: hoc autem tempore, quum sit nihil aliud quod  
lubenter agere possim<sup>47</sup>, multo magis aveo audire, de divinati-  
one quid sentias. Nihil, inquit, euidem novi<sup>48</sup>, nec quod  
praeter ceteros ipse sentiam: nam quum antiquissumam sen-  
tentiam, tum omnium populorum et gentium consensu compro-

41. *Et quale sit.] Cf. N. D. ii. 69., "Ex quo scientia intellegitur quam vim habeat, qualis sit."*

42. *Arcem ... defendis, si quidem—.] Arcem defendis, et bene de-  
fendis, si modo—. Particularum si quidem in dubitatione exempla vide  
de Off. i. 21, ii. 21., iii. 12. extr.*

43. *Et, ut sint dii.] Cf. ii. 33., "Etenim, ut sint auspicia, quae nul-  
la sunt,—" adde infra c. 30., ii. 14.  
et 68.*

44. *Satis est argumenti, ... quod ... video.] Sic Harl. 2.; vulg. quod ... judico: sed nihil istud sane ar-  
gumenti esse potuit.—Supra prono-  
men eos ante consulere delet Mose-  
rus.*

45. *Ita t., si—.] Exempla formulae accipe, Cic. pro Mil. 29., Phil.  
viii. 4., xiii. 3.; ad Fam. xi. 10., xiii.  
1., xv. 4. et 20.; ad Att. vii. 7., ix.  
2. et 10., xii. 32., xiii. 12., xvi. 6.;  
de Off. i. 9., iii. 3.; de Senect. 11.*

46. *Quod h. s. praeverendum pu-  
tes.] Cf. N. D. ii. 1. extr., "Nam et  
otiosi sumus, et iis de rebus agimus,  
quae sunt etiam negotiis anteponen-*

dae." Quod vero monet Moserius,  
hoc sensu ut sit i. q. *preferre*, verbo  
*praeverendi* alibi non usum esse Cic.,  
sed usum esse, qui studiose eum  
legat, Gell. iv. 3., "religionem ani-  
mo et amori *praeveruisse*;" en, uti-  
tur ipse Cic. Phil. ii. 35., sicut e  
Vaticano plerique recte ediderunt,  
"Sed incidi in id tempus, quod iis  
rebus, in quas ingressa erat oratio,  
*praeverendum* est."

47. *Quod lubenter agere possim.]*  
Moserius *possimus*: etiam si hoc le-  
gas, de Marco ipso solummodo in-  
telligendum censeo. Infra ii. 2., "In  
armis civilibus nec tueri meo more  
rempublicam, nec nihil agere po-  
teram, nec, quid potius, quod quidem  
me dignum esset, agerem, reperi-  
bam." Nam ita interpretatur Creu-  
zerus, ut etiam ad Quintum perti-  
nere censeat.

48. *Nihil, inquit, euidem novi.]*  
Contulit Moserius *de Fin.* i. 8.,  
"Nunc dicam de voluptate; *nihil*  
scilicet *novi*, ea tamen quae—." Ad-  
das *de Repub.* i. 14.

batam sequor. Duo sunt enim divinandi genera; quorum alterum artis est, alterum naturae. Quae est autem gens, aut quae civitas, quae non aut extis pecudum<sup>49</sup>, aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium, (ea enim fere artis sunt) aut somniorum, aut vaticinationum (haec enim duo naturalia putantur) praedictione moveatur? Quarum quidem rerum eventa<sup>50</sup> magis arbitror, quam causas quaeri oportere: est enim vis et natura quaedam, quae cum observatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu inflatuque divino futura praenuntiat.

VII. Quare omittat urguere Carneades, quod faciebat etiam Panaetius, requirens, Juppiterne cornicem a laeva, corvum a dextra canere jussisset. Observata sunt haec tempore immenso: exin significatio<sup>51</sup> est eventis animadversa et notata. Nihil est autem, quod non longinquitas temporum, excidente memoria<sup>52</sup>, prodendisque<sup>53</sup> monumentis, efficere atque adsequi

49. *Aut extis pecudum ... aut sortium ... praedictione.]* "Quis," quaerit Goerenzius, "qui haud alienus est ab accuratiore nostri lectione, haec (*extis pecudum*) tali in textu genuina putet, quum omnia ad verbum *praedictione* referenda sint? Nihil enim *exta* per se habere, unde quis moveatur." Haec ille; fidenter satis: cuius potissimum ait Moserus non auctoritatem sed accuratam de hoc loco disputationem ad conjectram Jos. Merceri *extispicum*, rationibus omnibus probe ponderatis, recipiendam se movisse. At neminem, opinor, movebit Goerenzii disputatio, qui modo ea inspexerit quae nos ad *N. D. i. 5.* contulimus, "Non enim tam *auctores* ... quam *rationis momenta* querenda sunt." Supervacanea ergo etiam Davisii conjectura, *aut exta pecudum ... interpretantium*; etsi plane nihili sunt rationes, quibus in ista disputatione quam adeo accuratam Moserus praedicat, eam impugnat Goerenzius. Nam quod negat iste umquam *exta interpretari*, sed perpetuo usu *inspicere*, *consulere*, *dici*, *en*, quod mireris, jam contulit Davisius exemplum *infra ii. 12.* Deinde quod quaerit idem, "quid sibi velit addita vox *pecudum*, quae ita constanter ab omnibus auctoribus omittatur ut valde dubitet an umquam sic adjecta periatur;" profecto aliquantum in-

terest, utrum quis de usu quotidiano dicat aliquem *exta* consuluisse, an contra de divinatione disertim scribere aggrediens, et jam primum varia divinationum genera recensens, rei ipsi potius satisfaciat dicatque *exta pecudum, aut monstra, aut fulgura interpretari*, quam brevitate vulgaris sermonis utatur.

50. *Eventu magis.]* Magis eventa respici, quam causas quaeri, oportere. Nempe hoc dicit Quintus: si eventa rerum divinationem comprobent, non ideo hanc improbandam esse quia causas rerum assequi non possimus.

51. *Exin significatio est eventis animadversa et notata.]* Vulgati et in *significatione eventus*. Legendum censuit Davisius *exin significaciones eventis animadversae et notatae*; sed nihil opus est plurali. Bene autem contulit Hottinger. c. 33. *infra*, "Quae ... eventis animadversa ac notata sunt."

52. *Excidente memoria.]* Historia. Cic. in *Bruto* c. 3. extr., "Quo (libro) iste omnem rerum memoriam breviter ... complexus est." Gell. iv. 6., "Ita in veteribus memoris scriptum legimus."

53. *Prodendisque monumentis.]* Interpretatur Moserus, cum monumenta produntur, conferens *ii. 72.*, "Nec vero superstitione tollenda religio tollitur."

possit. Mirari licet, quae sint animadversa a medicis herbarum genera, quae radicum, ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad volnera: quorum<sup>54</sup> vim atque naturam ratio numquam explicavit; utilitate et ars est, et inventor probatus. Age, ea, quae, quamquam ex alio genere sunt, tamen divinationi sunt similiora, videamus.

Atque etiam ventos<sup>55</sup> praemonstrat saepe futuros  
Inflatum mare, quum subito penitusque tumescit,  
Saxaque cana, salis niveo spumata liquore,  
Tristificas certant Neptuno reddere voces:  
Aut densus stridor quum celso e vertice montis  
Ortus, adaugescit scopulorum saepe repulsus<sup>56</sup>.

VIII. Atque his rerum praesensionibus Prognostica tua referta sunt. Quis igitur elicere causas praesensionum potest? etsi video Boëthum Stoicum esse conatum; qui hactenus aliiquid egit, ut earum rationem rerum explicaret, quae in mari coelove fierent. Illa vero cur eveniant, quis probabiliter dixerit?

Rava fulix<sup>57</sup> itidem fugiens e gurgite ponti,  
Nuntiat horribilis clamans instare procellas,  
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.  
Saepe etiam pertriste canit de pectore carmen,  
Et matutinis acrecula vocibus instat,  
Vocibus instat<sup>58</sup>, et assiduas jacit ore querelas,  
Quum primum gelidos rores aurora remittit.  
Fuscaque nonnumquam cursans per littora cornix  
Demersit caput, et fluctum cervice recepit.

IX. Videmus haec signa numquam fere mentientia<sup>59</sup>; nec tamen, cur ita fiat, videmus.

54. *Quorum vim*.—.] Horum autem—.

55. *Atque etiam ventos* etc.] Ex Arateis Ciceronis. Contulit Dav. Virg. Ge. i. 356. seqq.

56. *Scopulorum saepe repulsus*.] Contulit Hottinger. Ovid. de Trist. iv. 1. 81., “Si quem nondum portarum saepe receptum, Barbarus in campis repperit hostis.” Male Dativius *repulsi*; qui perperam *saepe* pro adverbio accepit.

57. *Rava fulix itidem*.] Pulchre hanc lectionem eruit Camerarius, ex corruptissima scriptione *Rana fluxit idem*.

58. — *vocibus instat, Vocibus instat*.] Ita haud raro Poëtae a fine versus verba revocant: cf. Ovid. Heroid. xiii. 140., xv., 155.; ejusd. Amor. ii. 14. 39, et Fast. iv. 484.

59. *Numquam fere mentientia*.] Sic Harl. 2.; vulg. *ementientia*: sed illud jam ideo etiam edendum putavit Hottinger, quia *ementiri* sit falsi aliquid comminiscendo effingere; recte, opinor: cf. N. D. ii. 5. extr., “In quibus nihil umquam immensa et infinita vetustas *mentita* est.” Nam, quod censem Moserus, *ementiri* pro simplici verbo usurpari, ejus exempla non mihi id persuadent.

Vos quoque signa videtis, aqua*ī* dulcis alumnae,  
Quum clamore paratis inanis fundere voces,  
Absurdoque sono fontis et stagna cietis.

Quis est, qui ranunculos hoc videre suspicari possit? Sed inest mire<sup>60</sup> et ranunculis natura quaedam significans aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior.

Mollipedesque boves spectantes lumina coeli,  
Naribus humiferum duxere ex aëre succum.

Non quaero, cur; quoniam, quid eveniat, intellego.

Jam vero semper viridis, semperque gravata  
Lentiscus triplici solita grandescere fetu,  
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Nec<sup>61</sup> hoc quidem quaero, cur haec arbor una ter floreat, aut

60. *Sed inest mire et ranunculis natura quaedam—.]* I. e. Sed mirum est ut insit etiam in ranunculis—. Conf. *Sallust. orat. Lepidi*, “Secundae res mire sunt vitiis obtentui.” Particulam autem et pro etiam utique (bona venia L. Vallae) acceperim. Ac vocavi interea veterum editionum lectionem, quam firmant etiam Harl. 1. et 3. item Regius. (Harl. 2. nude, quomodo etiam ed. Marsi, *Sed inest in ran.*) Nam profecto absurde inde a Grutero in vulgatis legitur *Sed inest in ravis et ranunculis*; etsi potuit probare Jac. Gronovius, scilicet quasi Cicero naturam significantem unam atque eamdem ranis attribuisset ac ravis quos ranae incolerent. Quod vero ex hac ipsa lectione in codd. reperta olim conjectit Victorius *in gyrynis*, non arbitror potuisse Ciceronem etiam gyrynis ἀδιαπλάστοις vim divinandi tribuere: quam neque Aratus iis tribuit, sed τοῖς πατράσι τῶν γυρίνων, nempe periphrasi poetica, id quod recte animadvertisit Hottinger, *ranas* significans. Tamen Victorii sententiam amplexus est F. A. Wolfius, monens non magis ranulas a ranis differre, quam a ranulis gyrynos. Quod ut concedatur, tamen plane a re alienum erat, ut mihi quidem videtur, adeo curiose diversas ranarum aetates distinguere. Nam ne supra

quidem, ubi dixit Cicero, “Quis est qui videre ranunculos hoc suspicari possit?” *parvas ranas* dicere voluit, sed minutum et contemtum ac ridiculum ranarum genus significare; quomodo etiam alibi diminutivis formis usus est, ut infra ii. 14., “Nam et musculorum *jejuscula* bruma dicuntur augeri, etc.” Jam quod sibi satisfacit Pearcius legendō, *Sed inest in ravis etiam ranunculis*, merito huic objicit Moserus et solutaे orationi minus aptam vocem et hoc in contextu otiosam; nihil enim ad rem facere, utrum *ravae* sint necne. Sed etiam in Rigleri emendatione, *Sed inest mira vis ranunculis et natura quaedam significans aliquid*, quam, palmariam dicens, recepit Moserus, nimia fit lectio loci et cumulatior omnino quam res ipsa postulabat. Adde quod in eadem ordo verborum merito non placuit Orellio. Reliqui vero nihil probabile afferunt: nam quod legendum censem Ernestius, *sed inest nimirum*, sane commoda satis lectio foret, sed nimis longe a codicū vestigiis recedit. Ad quae sic possis propius accedere: *Sed inest, ne mireris, et ranunculis*, etc.

61. *Nec hoc quidem quaero.]* Recte nec, propter superius illud *Non quaero, cur—*; ne cum Davisio malles ne.

cur arandi maturitatem ad signum floris adcommodebit<sup>62</sup>. Hoc sum contentus, quod, etiam si quo modo quidque fiat ignorem, quid fiat intellego. Pro omni igitur divinatione idem, quod pro rebus iis, quas commemoravi, respondebo.

X. Quid scammoneae radix ad purgandum, quid aristolochia<sup>63</sup> ad morsus serpentum possit, (quae nomen ex inventore reperit, rem ipsam inventor ex somnio) posse<sup>64</sup> video; quod satis est: cur possit, nescio. Sic ventorum et imbrium signa, quae dixi, rationem quam habeant, non satis perspicio: vim et eventum agnosco, scio, adprobo. Similiter, quid fissum in extis, quid fibra valeat, accipio: quae causa sit, nescio. Atque horum quidem plena vita est: extis enim omnes fere utimur<sup>65</sup>. Quid? de fulgurum vi dubitare num possumus? Nonne quum multa alia mirabilia, tum illud in primis? quum Summanus in fastigio Jovis Optumi Maxumi, qui tum erat fictilis, e coelo ictus esset, nec usquam ejus simulacri caput inveniretur; haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt: idque inventum est eo loco, qui est ab haruspiciis demonstratus.

XI. Sed quo potius utar aut auctore, aut teste, quam te? cuius edidici etiam versus, et lubenter quidem, quos in secundo Consulatu<sup>66</sup> Urania musa pronuntiat:

Principio aetherio flammatus Juppiter igni  
Vertitur, et totum conlustrat lumine mundum,  
Menteque divina coelum terrasque petessit,  
Quae penitus sensus hominum vitasque retentat,  
Aetheris aeterni septa atque inclusa cavernis.  
Et, si stellarum motus cursusque vagantis  
Nosse velis, quae sint signorum in sede locatae,  
(Quae verbo et falsis Graiorum vocibus errant,  
Re vera certo lapsu spatioque feruntur;)  
Omnia jam cernes divina mente notata.  
Nam primum astrorum volucris te consule motus,

62. *Cur . . . adcommodebit.*] Monet Goerenz., Quintum sic loqui quasi lentiscus in causa sit, ut aretur, quum rustici arationem ad ejus florrem accommodare solerent.

63. *Quid scammoneiae radix . . . , quid aristolochia.*] Harl. 2. *aristolochiae*, quam jam Lambini conjecturam frustra probavit Davisius: vide nos ad *N. D.* i. 5., "Non tam *auctores* in disputando, quam *rationis momenta* quaerenda sunt."

64. *Posse video, quod satis est.*] Ita codices et nostri quatuor, et omnes fere ubique: nam in vulgatis non legitur τὸ *posse*; in qua voce neg-

ligens epanalepsis agnoscenda est: nempe debebat Cicero potius *quid possit* scribere; sed post parenthesis, ut fit, ad ἀνακόλουθον deflexit oratio.

65. *Extis enim omnes fere utimur.*] Recte, opinor, dedit Davisius *utimur* pro vulg. *utuntur*. Ceterum quod de Stoicis adstrictius ille interpretatur, minus probo.

66. *In secundo Consulatu.*] In secundo libro Consulatus tui. Volebat P. Manut. in sec. *de cons.*; Gulielm. autem in sec. *consulatus*. Ego nihil muto. Ceterum haec eadem omnia commemorat Cic. in *Catil.* iii. 8.

Concursusque gravis stellarum ardore micantis  
 Tu quoque, quum tumulos Albano in monte nivalis  
 Lustrasti et laeto mactasti lacte Latinas,  
 Vidisti, et claro tremulos ardore cometas,  
 Multaque misceri nocturna strage putasti:  
 Quod ferme dirum in tempus cecidere<sup>67</sup> Latinae,  
 Quum claram speciem concreto<sup>68</sup> lumine Luna  
 Abdidit, et subito stellanti nocte peremta est.  
 Quid vero Phoebi fax, tristis nuntia belli,  
 Quae magnum ad<sup>69</sup> columen flammato ardore volabat,  
 Praecipitis coeli partis obitusque petessit?<sup>70</sup>  
 Aut quum terribili percussus<sup>71</sup> fulmine civis,  
 Luce serenanti<sup>72</sup> vitalia lumina liquit:  
 Aut quum se gravido tremefecit corpore tellus.  
 Jam vero variae nocturno tempore visae  
 Terribiles formae, bellum motusque monebant:  
 Multaque per terras vates oracula furenti  
 Pectore fundebant tristis minitantia casus:  
 Atque ea quae lapsu<sup>73</sup> tandem cecidere vetusto,  
 Haec fore, perpetuis signis clarisque frequentans,  
 Ipse Deum genitor coelo terrisque canebat.

XII. Nunc ea, Torquato, quae quondam, et consule Cotta,  
 Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex,  
 Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.  
 Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo  
 Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit,  
 Et Capitolinis injecit sedibus ignis.  
 Tum species ex aere vetus generataque<sup>74</sup> Nattae  
 Concidit, elapsaque vetusto numine<sup>75</sup> leges,  
 Et divom simulacra peremit fulminis ardor.  
 Hic silvestris erat Romani nominis altrix  
 Martia, quae parvos Mavortis semine natos  
 Uberibus gravidis vitali rore rigabat:  
 Quae tum cum pueris flammato fulminis ictu  
 Concidit, atque avolsa, pedum vestigia liquit.  
 Tum quis non artis<sup>76</sup> scripta ac monumenta volutans,

67. *Cecidere.*] Dedit ex Eliensi Davisius, pro vulg. *cecinere*: ita etiam Leidens. I.

68. *Concreto lumine.*] Harl. I. *contracto*, ab interprete.

69. *Magnum ad columen.*] Instar columnae, ad columnae magnitudinem, interprete Turnebo.

70. *Quid vero . . . petessit?*] Cur petessit? quid portendit, . . . petessens? Addidi cum Hottingero interrogandi signum; sed nolo ab eodem participium *petessens* accipere.

71. *Percussus fulmine.*] Recte *percussus* Harl. I. et Regius, quod jam ex Oxon. E. dedit Hotting.; vulg. *perculus*.

72. *Luce serenanti.*] Mutata distinctione, haec cum *percussus* jungit Hotting.: eodem redit res.

73. *Lapsu . . . vetusto.*] Interpretor: per vetustatem, ac labentibus annis. Sallust. *Catil.* 47., "Ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem saepe ex prodigiis haruspices respondissent bello civili cruentum fore."

74. *Species ex aere vetus generataque.*] Vetus et generata ex aere. Talem poëticam synchysin cum Pearcio agnosco. In ipsa autem voce *generata* videtur Cicero vetustiorum Latinitatem affectasse. Mureti conjecturam *generosaque* nihil facio.

75. *Vetusto numine leges.*] Vetusta sanctitate atque auctoritate.

76. *Artis scripta.*] Nempe auguralis.

Voces tristificas chartis promebat Etruscis?  
 Omnes civili generosa<sup>77</sup> stirpe profectam  
 Vitare<sup>78</sup> ingentem cladem pestemque monebant:  
 Vel legum exitium constanti voce ferebant,  
 Templa deūmque adeo flammis urbisque<sup>79</sup> jubebant  
 Eripere, et stragem horribilem caedemque vereri:  
 Atque haec fixa gravi fato ac fundata teneri;  
 Ni post excelsum<sup>80</sup> ad columen formata decore  
 Sancta Jovis species claros spectaret in ortus.  
 Tum fore, ut occultos populus sanctusque senatus  
 Cernere conatus posset, si solis ad ortum  
 Conversa, inde patrum sedis populique videret.  
 Haec tardata diu species multumque morata,  
 Consule te, tandem celsa est in sede locata;  
 Atque una fixi ac signati temporis hora  
 Juppiter excelsa clarabat<sup>81</sup> sceptr'a column'a,  
 Et clades patriae flamma ferroque parata,  
 Vocibus Allobrogum patribus populoque patebat.  
 Rite igitur veteres, quorum monumenta tenetis,  
 Qui populos urbiske modo ac virtute regebant:  
 Rite etiam vestri, quorum pietasque fidesque  
 Praestitit, et longe vicit sapientia cunctos,  
 Praecipue coluere vigenti numine divos.  
 Haec adeo penitus cura videre sagaci  
 Otia qui studiis laeti tenuere decoris,  
 Inque Academia<sup>82</sup> umbrifera nitidoque<sup>83</sup> Lyceo  
 Fuderunt claras fecundi pectoris artis.  
 E quibus eruptum, primo jam a flore juventae<sup>84</sup>,  
 Te patria in media virtutum mole<sup>85</sup> locavit.  
 Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,  
 Quod<sup>86</sup> patriae vocis studiis nobisque sacrasti.

77. *Civili, generosa ab stirpe profectam.*] Non modo a civibus, sed a nobilibus.

78. *Vitare . . . monebant.*] Hunc versum codices omnes post proxime sequentem *Vel . . . ferebant* ponunt; nempe in geminata initiali litera *Vl*apsus est librarius: sed pro *Vitare* mendose scribunt omnes fere *Vel diram*. Ceterum nemo tam incuriosae haec legere potest, quin molesti ipsi atque odiosi sint tres continui ὄμοιοτέλευτοι versus, *monebant, ferebant, jubebant*. Sed etiam altera biga continuo subsequitur, *vereri, teneri*. Si sic omnia!

79. *Urbisque.*] Cod. Balliol., probante Davisio, *urbemque*. Non recipio.

80. *Excelsum.*] Recte Lambinus e conj., Davisius e cod. Merton.: vulgo *excisum*. Cf. Cic. in Catil. iii. 8.—*Ad columen*: instar, ut supra.

81. *Clarabat sceptr'a.*] Conspicenda exhibebat, interpretatur Hottinger.; cum quo etiam dedi *Et clades—*; pro *At.* Sed habet *Et* etiam cod. Oxon. E.

82. *Inque Academia umbrifera—.*] Nota semielisionem in voce *Academia*.

83. *Nitidoque Lyceo.*] Epitheton *nitido* ad id refert Hotting., quod oleo ungerentur luctatores in Lyceo, conferens Ovid. *Fast.* v. 667. et *Heroid.* xvi. 149. Recte; addasque *Metam.* vi. 241.

84. *Primo jam a flore juventae.*] Erat tunc temporis Cicero annos natus xxx.

85. *In media virtutum mole locavit.*] Ibi locavit ubi virtutes ostendere posses.

86. *Quod . . . sacrasti.*] Nempe otium; quod ex requiete adsumendum monet Hotting.—*Patriae vo-*

Tu igitur animum poteris inducere contra ea, quae a me disputantur de divinatione, dicere, qui et gesseris ea, quae gessisti, et ea, quae pronuntiavi, adcuratissime scripseris? Quid? Quaeris, Carneades, cur haec ita fiant, aut qua arte perspici possint? Nescire me fateor: evenire autem, te ipsum dico videre. Casu, inquis. Itane vero? Quidquam potest casu esse factum, quod omnis habeat<sup>87</sup> in se numeros veritatis? Quatuor tali jacti, casu Venerium efficiunt<sup>88</sup>. Num etiam centum Venerios, si cccc. talos ejeceris<sup>89</sup>, casu futuros putas? Adspersa temere pigmenta in tabula, oris lineamenta effingere possunt. Num etiam Veneris Coae<sup>90</sup> pulchritudinem effungi posse adspersione fortuita putas? Sus rostro si humi A literam impresserit; num propterea suspicari poteris, Andromacham Ennii ab ea posse describi? Fingebat Carneades, in Chiorum lapicidinis saxo diffisso caput exstitisse Panisci. Credo, aliquam non dissimilem figuram, sed certe non talem, ut eam factam a Scopa diceres: sic enim profecto se res habet, ut numquam perfecte veritatem casus imitetur.

XIV. At nonnumquam ea, quae praedicta sunt, minus eveniunt. Quae tandem id ars non habet? earum dico artium, quae conjectura continentur et sunt opinabiles. An medicina ars non putanda est? quam tamen multa fallunt. Quid? gubernatores nonne falluntur? An Achivorum exercitus et tot navium rectores non ita profecti sunt ab Ilio,

Ut profectione laeti piscium lasciviam  
Intuerentur, ut ait Pacuvius, nec tuendi capere posset satietas<sup>91</sup>?

*cis*: i. e. vernaculae linguae; et frustra ingenium suum exercuit Dav., reponens, *quod patria vacat, his studiis*.—*Nobisque*: loquitur Musa Ura-nia.

87. *Quod o. habeat.*] Sic recte Harl. I. et Regius; item Monacensis apud Moserum: *vulg. habet.*

88. *Casu Venerium efficiunt.*] Fuit felicissimus jactus; qui tum fiebat, quem omnes tali diversas figuras ostendebant. Harl. I. et Leidens. 3. *efficiant*; frusta: accipe autem *efficiunt* pro *possunt efficere*. Idem Harl. *delet casu*.

89. *Si cccc. talos ejeceris.*] Davi-sius *jeceris*, quia *jucere talos*, non *ejicere*, dicant Latini. Quod plane praeter rem est; neque enim nunc Cicero talorum ludum respicit: profecto non temere, opinor, in isto ludo *quadringentis* talis utebantur: sed

verbi *ejeceris* hoc loco ea vis est, quasi dixisset Cicero: Num etiam, quadringentos talos si aliquo conges-seris atque in terram effuderis, centum Venerios casu futuros putas? Et *ejeceris* recte tuentur Harl. I. et Re-gius.

90. *Num etiam Veneris Coae—.*] Harl. I. *Veneris neque*; 3. V. *coae-quae*: multi libri *V. Coaeque*; Leid. I. V. *quoque*: scribi potest, *Num etiam V. C. quoque*: nam saepe ita abundat *quoque* post *etiam vel post et pro etiam*.

91. *Capere posset satietas.*] Scripsi hoc ordine de sententia Davisii, ni-mirum ut vox *satietas* quasi *satyetas* efferenda sit, sicut apud *Terent.*, *Eun.* iii. 1. 13. Nam quod conjectit Gruterus *satias capere possiet*, recte monet Orell. tempora non congrue-

Interea prope jam occidente sole inhorrescit mare<sup>92</sup>,  
Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbūm oceaeca nigror.

Num igitur tot clarissumorum ducum regumque naufragium sustulit artem gubernandi? aut num imperatorum scientia nihil<sup>93</sup> est, quia summus imperator nuper fugit, amissō exercitu? aut num propterea nulla est reipublicae gerendae ratio atque prudentia, quia multa Cn. Pompeium, quaedam M. Catonem, nonnulla etiam te ipsum fefellerunt? Similis est haruspicum responsio, omnisque opinabilis<sup>94</sup> divinatio: conjectura enim nititur, ultra quam progredi non potest. Ea fallit fortasse nonnumquam; sed tamen ad veritatem saepissime dirigit<sup>95</sup>: est enim ab omni aeternitate repetita; in qua quum paene innumerabiliter res eodem modo evenirent, isdem signis antegressis; ars est effecta, eadem saepe animadvertisendo ac notando.

XV. Auspicio vero vestra quam constant? quae quidem nunc a Romanis auguribus ignorantur; (bona hoc tua venia dixerim;) a Cilicibus, Pamphyliis, Pisidis, Lyciis tenentur. Nam quid ego hospitem nostrum, clarissimum atque optimum virum, Deiotarum regem commemorem? qui nihil umquam nisi auspicio gerit: qui quum ex itinere quodam proposito et constituto revertisset, aquilae admonitus volatu; conclave illud, ubi erat mansurus<sup>96</sup> si ire perrexisset, proxuma nocte corruit. Itaque, ut ex ipso audiebam, persaepe revertit ex itinere, quum jam progressus esset multorum dierum viam. Cujus quidem hoc praeclarissimum est, quod, postea quam a Caesare tetrarchia<sup>97</sup> et regno pecuniaque multatus est, negat se tamen eorum auspiciorum, quae sibi ad Pompeium proficiscenti secunda evenerint, poenitere: senatus enim auctoritatem, et populi Romani libertatem, atque imperii dignitatem, suis armis esse defensam; sibique eas avis, quibus auctoribus officium et fidem sequutus esset, bene consuluisse: antiquorem enim sibi fuisse possessionibus suis gloriam. Ille mihi videtur igitur vere augurari. Nam nostri quidem magistratus auspicis utuntur coactis<sup>98</sup>: necesse enim est, offa objecta, cadere frustum ex pulli ore, quum pascitur. Quod autem scriptum habetis,

92. *Inhorrescit mare, . . . oceaeca nigror.*] Haec, et ejusdem alia, attulit Cicero etiam *de Orat.* iii. 39.

93. *Num . . . nihil est?*] Num ad nihilum recidit? ut supra, *Num . . . sustulit artem?*

94. *Omnisque opinabilis divinatio.*] Potest utique quaedam esse divinatio etiam naturalis. Nam vocem *opinabilis* frustra suspectam habuit Davisius.

95. *Dirigit.]* Recta dicit.

96. *Mansurus.]* Iterum *manere* pro *pernoctare* infra est c. 28.: adde *pro Mil.* 17., et *Horat. Serm.* i. 5. 83.

97. *Tetrarchia et regno.]* Ita rescribi voluit Davisius pro *tetrarchiae regno*: cf. ii. 37.

98. *Coactis.]* Cf. ii. 35.

hinc<sup>99</sup> tripudium fieri, si ex ea quid in solum<sup>1</sup> ceciderit; hoc quoque, quod dixi coactum, tripudium solistimum dicitis. Itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, neglegentia collegi amissa<sup>2</sup> plane et deserta sunt.

XVI. Nihil fere quondam majoris rei, nisi auspicato, ne privatim quidem gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui, re omissa, nomen tantum tenent. Nam, ut nunc extis, (quamquam id ipsum aliquanto minus quam olim) sic tunc avibus magnae res impetriri<sup>3</sup> solebant. Itaque, sinistra dum non exquirimus, in dira et in vitiosa<sup>4</sup> incurrimus. Ut P. Claudius Appi Caeci filius, ejusque collega L. Junius, classis maxumas perdiderunt, quum vitio navigassent. Quod eodem modo evenit Agamemnoni: qui, quum Achivi coepissent

Inter se strepere aperteque<sup>5</sup> artem obterere extispicum,  
Solvore imperat secundo rumore, adversaque avi.

Sed quid vetera? M. Crasso quid acciderit videmus, dirarum obnuntiatione neglecta. In quo Appius, collega tuus, bonus augur, ut ex te audire soleo, non satis scienter virum bonum et civem egregium censor C. Ateium notavit, quod ementitum auspicia subscrispsit<sup>6</sup>. Esto; fuerit hoc censoris, si judicabat ementitum: at illud minume auguris, quod adscripsit, ob eam causam populum Romanum calamitatem maxumam cepisse<sup>7</sup>. Si enim ea causa calamitatis fuit; non in eo est culpa qui obnuntiavit, sed in eo qui non paruit: veram enim fuisse obnuntiationem, ut ait idem augur et censor, exitus adprobavit: quae<sup>8</sup> si falsa fuissent, nullam adferre potuissent causam cala-

99. *Hinc tripudium fieri, si—.*] Ita Dav. e codd. tribus: vulg. aut *tripudium*, unde conjecit Turnebus *avi tripudium*. Harl. I. *hoc*. Mallem *ita t. f., si—;* vide ad c. 6. supra.

1. *Si . . . in solum ceciderit.*] Harl. I. *in solidum inciderit;* et *solidum* quidem habent etiam 3. et Reg.: nam in H. 2. lacuna est.

2. *Amissa plane et deserta.*] Legendum suspicatur Moserus in *Ad-dendis omissa*; frustra: vide nos ad *N. D. i. 24. et ii. 49.* Adde *Parei Lex. Plaut.*

3. *Impetriri.*] I. e. impetrari. Augurale verbum restituendum pro *impetriri*, recte censuit P. Manutius: quo usus est Noster etiam *infra ii. 15.*

4. *In dira et in vitiosa.*] Attulit Hotting. de *Leg. ii. 8.*

5. *Aperteque artem.]* De hiatu, vide, monente Mosero, *Hermann. El. Doctr. Metr. p. 87. sq.*

6. *Subscrispsit.]* Vulg. *subscripte-rit;* sed, quoniam Appius censor subscrispsit, non Ateius, recte Rathius scribendum monuit *subscrispsit*. Frus-tra Davisius *subscriberet*.

7. *Calamitatem m. cepisse.]* Nota est illa formula, “Ne quid res publica detrimenti caperet.” Sic etiam Noster *in Verr. iii. 46.* apud Moserum, *nihil incommodi capere*.

8. *Quae si falsa fuissent.]* Nempe obnuntiata: frustra Davisius *fuisset... potuisset.*—Pro *nullam* autem habet Cod. Regius *non illam;* qui pro nostra conjectura facit ad *Nat. Deor. ii. 32. extr.*

mitatis. Etenim dirae, sicut et cetera auspicia, ut omina, ut signa, non causas adferunt, cur quid eveniat, sed nuntiant ventura<sup>10</sup>, nisi provideris. Non igitur obnuntiatio Ateii causam finxit calamitatis; sed signo objecto monuit Crassum, quid eventurum esset, nisi cassisset. Ita aut illa obnuntiatio nihil valuit: aut si, ut Appius judicat, valuit, id valuit, ut peccatum haereat<sup>11</sup> non in eo qui monuerit, sed in eo qui non obtemperarit.

XVII. Quid? Lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus, unde vobis est traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit, tum quem urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus (id est<sup>12</sup> incurvum et leviter a summo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, similitudine nomen invenit<sup>13</sup>) quem situs esset in curia Saliorum, quae est in Palatio, eaque deflagravisset, inventus est integer<sup>14</sup>. Quid? Multis annis post Romulum, Prisco regnante Tarquinio, quis veterum scriptorum non loquitur, quae sit ab Attio Navio per lituum regionum facta descriptio? qui quum propter paupertatem sues puer pasceret, una ex iis amissa, vovisse dicitur, si recuperavisset, uvam se deo daturum quae maxima esset in vinea: itaque, sue inventa, ad meridiem spectans in vinea media dicitur constitisse, quumque in quatuor partis vineam divisisset, trisque partis aves abdixissent<sup>15</sup>, quarta parte, quae erat reliqua in regione<sup>16</sup> distributa, mirabili magnitudine uvam, ut scriptum videmus, invenit. Qua re celebrata, quum vicini omnes ad

9. *Sicut et cetera auspicia.]* Ad-didi et ex Harl. 1. et Regio, nihil ego L. Vallam verens: sed habent etiam alii codices apud Moserum.—Recte autem *dirae pro dira* conject Turnebus.

10. *Sed nuntiant ventura.]* Vulgati *eventura*, ob antecedens *eveniat*: sed alterum e Guelf. recte recepit Ernestius; habet etiam Harl. 3.

11. *Ut peccatum haereat.]* Voluit Davisius *haereret*: at vero non magis haerebat, quam etiam nunc haeret: vide nos ad *Nat. Deor.* ii. 60. *ut . . . possimus: . . . haberemus.*

12. *Id est incurvum . . . bacillum, etc.]* Utique, quum fratris disputationem literis atque immortalitati mandaret Cicero, recte etiam multa post saecula lecturis ita consulebat, ut qualis iste Romuli lituus esset, declararet. Ne forte in eorum sententiam ire velis, qui haec frustra

glossematis damnant. Sic etiam infra c. 23., “Ei magos dixisse (*quod genus sapientium et doctorum habebatur in Persis*)—”

13. *Nomen invenit.]* Sic iterum infra ii. 32. extr.

14. *Inventus est integer.]* Cf. Valer. Max. i. 8. 11.

15. *Aves abdixissent.]* I. e. alienas a re significassent: contrarium est *addicere*.

16. *In regione distributa.]* Davisius *in regiones*, e codice Lambini, et frustra interpretatur coeli spatia. Eamdem lectionem recepit etiam Schuetzius, sed ita interpretatur quasi Attius quartam illam partem itidem quatuor in regiones divisisset, et has particulas, quod plane mirum fuisset, perinde per aves explorasset. Quod si significare voluisset Cicero, omnino necessarium erat *itidem adhibere*.

eum<sup>17</sup> de rebus suis referrent, erat in magno nomine<sup>18</sup> et gloria: ex quo factum est, ut eum ad se rex Priscus arcesseret. Cujus quum tentaret scientiam auguratus<sup>19</sup>, dixit ei, cogitare se quiddam; id possetne fieri, consuluit<sup>20</sup>. Ille, augurio acto<sup>21</sup>, posse respondit. Tarquinius autem dixit, se cogitasse, cotem novacula posse praecidi: tum Attium jussisse experiri<sup>22</sup>: ita cotem in comitium allatam, inspectante et rege et populo, novacula esse discissam. Ex eo evenit, ut et Tarquinius augure Attio Navio uteretur, et populus de suis rebus ad eum referret. Cotem autem illam et novaculam defossam in comitio, supraque impositum puteal accepimus. Negemus omnia<sup>23</sup>: comburamus annalis: facta haec esse dicamus: quidvis denique potius, quam deos res humanas curare, fateamur. Quid? quod scriptum apud te est de Ti. Graccho, nonne et augurum et haruspicum comprobat disciplinam? qui quum tabernaculum vitio cepisset<sup>24</sup> imprudens, quod inauspicato pomoerium transgressus esset, comitia consulibus rogandis<sup>25</sup> habuit. Nota res est, et a te ipso mandata monumentis. Sed et ipse augur Ti. Gracchus auspiciorum auctoritatem confessione errati sui comprobavit; et haruspicum disciplinae magna accessit auctoritas, qui recentibus<sup>26</sup> comitiis in senatum introducti, negaverunt justum comitiorum rogatorem fuisse.

XVIII. Iis igitur adsentior, qui duo genera divinationum

17. *Quum vicini omnes ad eum—.]* Ita codices et Davisius: nam olim legebatur, *omnes ad unum*; et hoc revocare potuit Ernestius, perperam. Primum enim istud plane nimium est pro re; neque enim arbitror ad unum omnes vicinos bubulcos ad Attium res suas detulisse. Deinde quot aut quinam erant *vicini?* quaenam linea, quaeso, vicinos et remotiores dirimebat? nam de numero indefinito *omnes ad unum* tam anxie dici non potest.

18. *Erat in magno nomine et gloria.]* Cf. Sallust. *Jug.* 18., “*Nomen gloriandumque sibi addidere.*” ubi etiam *Tacitum contuli.*

19. *Cujus quum tentaret scientiam auguratus.]* Pro *auguratus* habent Harl. 3., Guelf., Leid. 2. *accuratius*; cuius lectionis eam saltem rationem habendam putavi, ut ipsam adscriberem: nam *auguratus* quidem abundare videtur.

20. *Id possetne fieri, consuluit.]* Mallem *consuleret*, nempe Attius.

Plane deleri autem verbum *consuluit* voluit Ernestius.

21. *Augurio acto.]* Cf. *de Off.* iii. 16., “*Quum in arce augurium augures acturi essent.*”

22. *Jussisse experiri.]* Harl. 3., item unus Victorii, *expediri*, nempe cotem. Ed. Ascens. 1. et cod. Ulmens. apud Moser. *expedire.*

23. *Negemus omnia.]* Regius delet *omnia.*

24. *Tabern. vitio cepisset.]* Cf. *N. D.* ii. 4.

25. *Consulibus rogandis.]* Ad consules rogandos: vide ad Sallust. *Jug.* 42.

26. *Recentibus comitiis.]* Utique ante quam consul erratum suum agnoscere voluissest. Frustra, opinor, vox *recentibus* viris quibusdam doctis suspecta est: pro qua quod etiam conjectit Orell. *recensendis*, profecto nimium quiddam videtur ille haruspicibus tribuere.—Supra Harl. 1. *magis accrescit auctoritas.*

esse dixerunt; unum, quod particeps esset artis; alterum, quod arte careret. Est enim ars in iis, qui novas res conjectura persequuntur, veteres observatione didicerunt. Carent autem arte ii, qui non ratione aut conjectura, observatis ac notatis signis, sed concitatione quadam animi, aut soluto liberoque motu, futura praesentiunt, (quod et somniantibus saepe contingit, et nonnumquam vaticinantibus per furorem) ut Bacis Boeotius, ut Epimenides Cres, ut Sibylla Erythraea. Cujus generis oracula etiam habenda sunt, non ea quae aequatis<sup>27</sup> sortibus ducuntur, sed illa quae instinctu divino adflatuque funduntur: etsi ipsa sors contemnenda non est, si et auctoritatem habet vetustatis, et<sup>28</sup> eae sunt sortes, quas e terra editas accepimus: quae tamen ductae ut in rem apte cadant, fieri credo posse divinitus. Quorum omnium interpretes, ut grammatici poetarum, proxume ad eorum, quos interpretantur, divinationem<sup>29</sup> videntur accedere. Quae est igitur ista calliditas, res vetustate robustas calumniando velle pervertere? Non reperio causam: latet fortasse obscuritate involuta naturae: non enim me deus ista scire, sed his tantummodo uti voluit. Utar igitur, nec adducar<sup>30</sup>, aut in extis totam Etruriam delirare, aut eamdem gentem in fulguribus errare, aut fallaciter portenta interpretari, quum terrae saepe fremitus, saepe mugitus, saepe motus, multa nostrae reipublicae, multa ceteris civitatibus gravia et vera praedixerint. Quid? qui irridetur, partus hic<sup>31</sup>

27. *Aequatis sortibus.*] Id est, arbitror, pari numero diversarum sortium in urnam simul conjecto. Ceterum cf. ii. 33. infra.

28. *Si et auct. habet vet., et eae sunt sortes, quas—.*] I. e., si et auctoritatem habet vetustatis, et sortes omnino sunt tales quales sunt eae, quas e terra editas accepimus. Recepit conjecturam Hottingeri pro vulgata lectione, *si ET a. habet v., UT eae sunt sortes.* Nam, etsi ex iis non sum ego, qui et pro etiam nusquam apud Ciceronem reperiri, L. Vallae credunt, tamen hoc loco non potuit res mihi placere. Adde quod *ut eae sunt sortes, pro sicut habent eae vel quales sunt eae, ejusmodi* Latinitas est quae non possit probari.

29. *Proxume ad eorum . . . divinationem.*] Id est, opinor, facultatem eam qua ipsi futura vident. Harl. I. proxime ad Deorum, quorum interpretantur. Regius ad deorum quos.

30. *Nec adducar, aut . . . Etruriam delirare.*] Vulgati *nec adducor ut rear;* sed voces *ut rear* in Palatinis duobus non receptas jam olim resecari voluit Gruterus, nunc alios libros satis multis sequutus delevit Moseurus. *Ad Att. xi. 16.*, “Sed ego non adducor, quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse, ut eam peterem ab illo? Vide Wopkens. Lect. Tull. p. 244. Recte autem adducar primus dedit Lambinus pro *abducatur*: at ipsum illud jam habent MSS. plures.

31. *Quid? qui irridetur partus hic mulae.*] Quasi δεικτικῶς *hic*: nempe rem significans quae ipso isto tempore materiam risus praebet. Similiter accipit Orellius, sic interpretans: “Hoc dicit: quid? quum nuper nescio cujus mula pullum peperisse diceretur, quae res hominum risus excitavit, nonne ideo quia in sterili natura fetus aliquis exstitit, cet.”

mulae, nonne quia fetus exstitit in sterilitate naturae, praeditus est ab haruspicibus incredibilis partus malorum? Quid? Ti. Gracchus, P. F., qui bis consul et censor fuit, idemque et summus augur et vir sapiens civisque praestans; nonne (ut C. Gracchus, filius ejus, scriptum reliquit) duobus anguibus domi comprehensis, haruspices convocabat? qui quum respondissent, si marem emisisset, uxori brevi tempore esse moriendum; si feminam, ipsi; aequius esse censuit, se maturam<sup>32</sup> oppetere mortem, quam P. Africani filiam adulescentem. Feminam emisit: ipse paucis post diebus est mortuus.

XIX. Irrideamus haruspices; vanos, futile esse dicamus; quorumque disciplinam et sapientissimum vir, et eventus ac res comprobavit, contemnamus: contemnamus etiam Babylonem<sup>33</sup>, et eos, qui e Caucaso coeli signa servantes<sup>34</sup>, numeris et motus<sup>35</sup> stellarum cursusque persequuntur. Condemnemus, inquam,

Nam quod transponendum pronomen censuit Davisius et post *fetus* potius locandum, quippe quum cod. Paris. utroque loco scriptum ostenderet, nonne haruspices, quaeso, si in pari sterilitate naturae quivis alias fetus exstisset, ad idem respondendum parati fuissent? Tamen de Davisii sententia edidit Moserus, accidente cod. Rehdiger., quem et ipsum intellico ego geminum pronomen habere, neque vero posteriore tantum loco, ut credit Orell. Ceterum quod orationem non constare monet Ernestius; nihil enim esse quod τῷ partus hic mulae respondeat; in eo quidem anacoluthon utique agnoscendum est: nisi malis ita statuere, posse verbum exstitit more verbi substantivi duplum nominativum recipere.

32. *Se maturam oppetere mortem.*] Se mortem oppetere, quae in ipso matura esset. Frustra Davisius maturum corrigit, id videlicet cavens, ne etiam P. Africani filiae adolescentis mors matura futura dicatur. At nihil necesse esse maturam ad posteriora pertrahi, docet clariss. Wopkens. p. 246., conferens Acad. iv. 15., "Quum animi inaniter moveantur eodem modo rebus iis, quae nullae sint, ut (moveantur) iis, quae sint." Quem quidem locum ego ad βραχνογίαν referendum puto: q. d., Quum animi eodem modo moveantur rebus iis quae nullae sint (*quod quum fit, in-*

*aniter eos moveri dicunt*), ut iis quae sint. Absolute etiam Sallustius, B. J. 6, "Terrebat ... praeterea opportunitas suaque et liberorum aetatis, quae (nempe opportunitas, qualiscumque) etiam mediocris viros saepe transversos agit." ubi saepe pro vulg. spe praedae nostrae recensionis est. Tamen Davisii conjecturam receperunt recentiores plerique. Sed jure concedit Orell., facillimum per zeugma ad alterum membrum repeti posse dumtaxat oppetere mortem, non maturam opp. m.

33. *Contemnamus etiam Babylonem.*] Sic nostri codices: vulg. *Babylonios*.

34. *Coeli signa servantes.*] Observantes. Infra c. 48., "Secundam Solus avem servat." Nota loquutio est *servare de coelo*.

35. *Numeris et motus stellarum cursusque persequuntur.*] Vulgati numeris et motibus stellarum cursus persequuntur. Reponendum censem Davisius numeris stellarum cursus et motus persequuntur, collato gemino germano, ut ait, loco infra ii. 6., "qui siderum cursus et motus numeris persequuntur?" Qui nimis longe a codicum lectione recedit. Conjeci ego, numeris, ex motibus stellarum, harum cursus persequuntur. Codex unus Goerenzii a prima manu cursusque: unde reponebat hic numeris motus stellarum cursusque persequun-

hos aut stultitiae, aut vanitatis, aut imprudentiae, qui cccclxx.<sup>36</sup> millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent, et mentiri judicemus, nec saeculorum reliquorum judicium, quod de ipsis futurum sit, pertimescere. Age, Barbari vani atque fallaces: num etiam Graiorum historia mentita est? Quae Croeso Pythius Apollo, ut de naturali divinatione dicam, quae Atheniensibus, quae Lacedaemoniis, quae Tegeatis, quae Argivis, quae Corinthiis responderit, quis ignorat? Collegit innumerabilia oracula Chrysippus, nec ullum sine locuplete auctore atque teste: quae quia nota tibi sunt, relinquo. Defendo unum hoc: Numquam illud oraculum Delphis<sup>37</sup> tam celebre et tam clarum fuisse, neque tantis donis refertum<sup>38</sup> omnium populorum atque regum, nisi omnis aetas oraculorum illorum veritatem esset experta. Idem jamdiu non facit<sup>39</sup>. Ut igitur nunc minore gloria<sup>40</sup> est, quia minus oraculorum veritas excellit<sup>41</sup>; sic tum, nisi summa veritate, in tanta gloria non fuisse. Potest autem vis illa terrae, quae mentem Pythiae divino adflatu concitatbat, evanuisse vetustate, ut quosdam exaruisse<sup>42</sup> amnis, aut in aliud cursum contortos et deflexos videamus. Sed, ut<sup>43</sup> vis, acciderit; magna enim quaestio est; modo maneat id, quod negari non potest, nisi omnem historiani perverterimus, multis saeculis verax fuisse id oraculum.

XX. Sed mittamus<sup>44</sup> oracula: veniamus ad somnia: de quibus disputans Chrysippus, multis et minutis somniis colligendis facit idem, quod Antipater, ea conquirens, quae, Antiphontis interpretatione explicata, declarant illa quidem<sup>45</sup> acumen interpretis: sed exemplis grandioribus decuit uti. Dionysî

*tur.* Cujus sententiam sequutus est Moserus, ita tamen ut etiam copulam et retineret: recte; vide sis nostr. *Doctr. Copular.* ii. 203.

36. cccclxx. *millia.*] Numerus idem est infra ii. 46.; nec secus legit Lactantius apud Davisium.

37. *Illud oraculum Delphis.*] I. e. Delphicum: cf. *Tusc.* v. 25., "Exsistit illa a deo Delphis praecpta cognitione." Adde *N. D.* iii. 34.

38. *Referendum.*] Scribit Harl. 3. referendum; eodemque modo idem codex infra c. 24. et 49.

39. *Idem jam diu non facit.*] Veritatem oraculorum non probat. *Conj. Dav. fit,* frustra.

40. *Nunc minore gloria est.*] Volut Davisius in *minore gloria;* frustra: cf. *de Orat.* ii. 18., "Ejus nomen erat magna apud omnes gloria."

41. *Quia minus o. veritas excellit.*] Harl. 1. et Regius extollit.

42. *Ut quosdam exaruisse amnis.*] Multi codices, etiam Harl. 1., evanuisse et exaruisse: sed unus Davisii invertit ordinem, alter ejusdem sine copula variam lectionem recepit.

43. *Sed, ut vis, acciderit.*] Ursini liber ut ut vis. Pal. 1. et 2. occiderit, quomodo etiam Harl. 1. Infra id oraculum: pronomen delet Harl. 1.

44. *Sed mittamus oracula.*] I. e. relinquamus, vel omittamus; quod in vulgatis etiam legitur: sed mittamus habent cod. Ulmens. et Leid. 2., Edd. Asc. 1. 2. Crat., Herw. apud Moserum; adde Harl. 3.: exempla dabit Nizolius.

45. *Quae . . . declarant illa quidem.*] Notum est quidem concessum eleganter pronomen ille adscis.

mater, ejus qui Syracosiorum tyrannus fuit, ut scriptum apud Philistum est, et doctum hominem et diligentem et aequalem<sup>46</sup> temporum illorum, quum praegnans hunc ipsum Dionysium alvo contineret, somniavit se peperisse Satyricum. Huic interpres portentorum, qui Galeotae tum in Sicilia nominabantur, responderunt, (ut ait Philistus) eum, quem illa<sup>47</sup> peperisset, clarissimum Graeciae<sup>48</sup> diurna cum fortuna fore. Num te ad fabulas revoco<sup>49</sup> vel nostrorum vel Graecorum Poëtarum? narrat enim et<sup>50</sup> apud Ennium Vestalis illa<sup>51</sup>:

Excita quum tremulis anus attulit artubu' lumen,  
Talia commemorat lacrumans, exterrita somno :  
Eurydica prognata<sup>52</sup>, pater quam noster amavit,  
Vires vitaque corpu' meum nunc deserit omne.

cere: vide *Schwarzium ad Tursellin.* c. 106., adde apud Moserum *Heusing.* ad *Cic. de Off.* i. 27. p. 226. Videtur autem haec structura ex parenthesi orta: ut h. l., *quae declarant (nam profecto declarant illa quidem) acumen interpretis.*

46. *Aequalem temporum illorum.*] Sic de *Leg.* i. 3., "Ipse autem aequalem aetatis suae memoriam depositit." adde *ibid.* ii. 4. extr.

47. *Quem illa peperisset.*] In obliqua oratione usurpari ille pro ipse, animadverti ad *Sallust. Jug.* xvi. 3. *Noster de N. D.* iii. 37., "Non injuria sibi illud accidere, qui illum in eamdem navem recepissent."

48. *Clarissimum Graeciae.*] Consultit Moserus *pro Rab. Posth.* 9., "Virum unum totius Graeciae facile doctissimum, Platonem." adde *N. D.* ii. 23, *Graeciae sapientissimi.*

49. *Num...revoco—?*] Revocem.

50. *Narrat enim et apud Ennium—.*] De copula et affert Moserus Goerenzii admonitionem ad *Acad.* ii. 42. p. 235., "Saepius sic Auctorem in exemplis jungendis et ponere, ut, cum eadem repetita sequi deberet, aliâ structurâ pergit. Hoc ejus more eos potissimum decipi, qui et pro etiam dici pugnant." Qui etiam hunc ipsum locum contulit, monens, pluribus interpositis pergere Ciceronem, "Sit sane etiam illud commentitium." Sed censeo ego alteram conjunctionis partem etiam inferius in illis potius agnos-

cendam esse, "Hisque adjungatur etiam Aeneae somnum, quod in Numerii Fabii Pictoris Graecis annalibus jesusmodi est, ut—." Nempe quum dixisset Quintus, "Num te ad fabulas revoco vel nostrorum vel Graecorum poëtarum?" erat utique etiam ex Graeco aliquo scriptore exemplum afferendum. Conf. *de Rep.* i. 3., apud Moserum, "Hinc enim illa et apud Graecos exempla,—. Quae, nata et frequentata apud illos, etiam in gravissimam civitatem nostram dicuntur redundasse." Adde *pro L. Manil.* 7., "Nam et publicani—. Deinde ceteris ex ordinibus homines—." Infra c. 53. et 55., *de Fato* 3.

51. *Vestalis illa.*] Conjicit Hieron. Columna ad Ennium *vestalis Ilia:* sed in re clara ac notissima magis placet pronomen.

52. *Eurydica prognata.*] Ad h. l. Orellius: "Ubi, quaequo, et quando servos πατρωνυμικῶς appellabant veteres? . . . Tum bellum illud ex filiae ore: pater quam noster amavit, dominus ancillam, amore illicito. Quid multa? Lego Eurydica, (vel cum Marso Eurydice,) pro gnata pater quam noster amavit, i. e. filiae loco, tamquam filiam, ut pote qui tuam fidem in me nutrienda probe expertus esset . . . Germana autem soror in seqq. caritatis est vocabulum, non cognitionis." Haec ille vir doctus, sed nescio an nimis fastidiose, utpote et in vetere poëta et in colloquio feminarum.

Nam me visus homo pulcher per amoena salicta  
 Et ripas raptare locosque novos. Ita sola  
 Postilla, germana soror, errare videbar,  
 Tardaque vestigare et quaerere te, neque posse  
 Corde capessere: semita nulla pedem stabilibat.  
 Exin compellare pater me voce videtur  
 His verbis: O gnata, tibi sunt ante gerendae<sup>53</sup>  
 Aerumnae: post ex fluvio<sup>54</sup> fortuna resistet.  
 Haec effatu' pater, germana, repente recessit,  
 Nec sese dedit in conspectum corde cupitus:  
 Quamquam multa manus ad coeli caerulea templaque  
 Tendebam lacrumans, et blanda voce vocabam.  
 Vix aegro tum corde meo me somnu' reliquit.

XXI. Haec, etiamsi facta sunt a poëta, non absunt tamen a consuetudine somniorum. Sit sane etiam illud commentitium, quo Priamus est conturbatus:

Quia mater grava parere se ardenter facem  
 Visa est in somnis Hecuba: quo facto pater  
 Rex ipse Priamus, somnio mentis<sup>55</sup> metu  
 Perculsus, curis sumtus<sup>56</sup> suspirantibus  
 Exsacrificabat hostiis balantibus.  
 Tum conjectorem<sup>57</sup> postulat, pacem<sup>58</sup> petens,  
 Ut se edoceret obsecrans Apollinem,  
 Quo sese vertant tantae sortes somniūm.  
 Ibi ex oraclo voce<sup>59</sup> divina edidit  
 Apollo: puerum, primus Priamo qui foret

53. *Ante gerendae.*] Mavult Dav. ferendae, idque etiam recepit Moserus. At merito magis poëticum Orellio videtur "gerere, tamquam onus, aerumnas." *O gnata* autem primus edidit Lambinus, pro *Cognata*: sed illud etiam in codd. satis multis extare nunc repertum est.

54. *Post ex fluvio fortuna resistet.*] Interpretatur Merula: "Quasi dicaret, Fortuna post multas aerumnas se rursum sistet tibi aequa et benigna ex Tiberi. Filii enim ex Ilia nati, expositi quidem in ripa Tiberis; sed veritus ille divino foetui nihil attulit incommodi."

55. *Mentis metu Perculsus.*] Junxit Davisius cum Gulielmio *percensus mentis*. At recte Moserus cum Roosio facit, jungente *mentis metu*, ut est apud Nostrum *ad Fam. ix. 16.*, "Volo enim abstergere animi tui

*metum.*" Sic etiam *Sallustius, Cat. 58. et Jug. 20. et 57, timor animi.*

56. *Curis sumtus suspirantibus.*] Consumtus. *Plautus*, apud Davi-  
 sium, *Mil. Glor. iii. l. 79.*, "Nam in  
 mala uxore atque inimico si quid  
 sumas, sumtus est: In bono hospite  
 atque amico, quaestus est quod su-  
 mitur: Et quod in divinis rebus  
 sumas, sapienti lucro est." *Curis  
 suspirantibus:* poëtice; i. e. suspiria  
 moventibus.

57. *Conjectorem.*] Palatini aliique multi *conjecturam.*

58. *Pacem petens.*] Virg. *Aen. iii. 261.*, "Sed votis precibusque jubent  
 exposcere pacem." adde iv. 56.

59. *Voce divina edidit Apollo.*] Legi vult Davisius *vocem divinam*; id quod jam in Eliensi codice librario placuerat: sed accusativi loco sunt quae verba Apollinis sequuntur.

Post illa natus, temperaret<sup>60</sup> tollere :  
Eum esse exitium Trojae, pestem Pergamo.

Sint haec, ut dixi, somnia fabularum : hisque adjungatur etiam Aeneae somnium, quod in Numerî Fabî Pictoris Graecis annalibus ejusmodi est, ut omnia quae ab Aenea gesta sunt quaeque illi acciderunt, ea fuerint quae ei secundum quietem visa sunt.

XXII. Sed propiora<sup>61</sup> videamus. Cujusnam modi est Superbi Tarquinî somnium, de quo in Bruto Attî<sup>62</sup> loquitur ipse ?

Quum jam quieti corpus nocturno impetu<sup>63</sup>  
Dedi, sopore placans artus languidos ;  
Visu'st in somnis pastor<sup>64</sup> ad me adpellere  
Pecus lanigerum eximia pulchritudine :  
Duos<sup>65</sup> consanguineos arietes inde eligi,  
Praeclariorumque alterum immolare me,  
Deinde ejus germanum cornibus connitier  
In me arietare, eoque ictu me ad casum dari :  
Exin prostratum terra, graviter saucium,  
Resupinum, in coelo contueri maximum ac  
Mirificum facinus ; dextrorum orbem flammeum  
Radiatum solis liquier<sup>66</sup> cursu novo.

Ejus igitur somnii a conjectoribus quae sit interpretatio facta, videamus :

Rex, quae in vita<sup>67</sup> usurpant homines, cogitant, curant, vident,  
Quaeque agunt<sup>68</sup> vigilantes agitantque, ea si cui in somno accidunt<sup>69</sup>,

60. *Temperaret tollere.*] Sic cum infinitivo saepe *Plautus*, ut *Poen.* v. 2. 76. “*Maledicere huic tu temperabis, si sapis.*”

61. *Propiora videamus.*] Infra ii. 9., “*Abeamus a fabulis: propiora videamus.*”

62. *In Bruto Attii.*] Codices plerique *Accius vel Actius* : unde conjectit Jac. Gronovius *Accii is.*

63. *Nocturno impetu.*] Nocte ingrueste.

64. *Visu'st in somnis pastor—.*] Sic Victorius, Lambinus, Davisius : alii *Visum est . . . pastorem*, ob sequentes infinitivos; scilicet veteri poëtae anacoluthon facillimum haud condonantes.

65. *Pecus—, Duos—.*] Sic cum Lambino et Mureto Davisius : nam codices ordinem habent inversum ; nimur ut *adpellere* supra absolute sit positum. Sed utrumque arietem

perinde laudari tamquam eximia pulchritudine, rei atque somnii ratio non tulit, si quidem Brutus eo ipso tutus fuit, nulla re quod eximius erat. Quod idem contra Orellium dictum sit, sic distinguere volentem: *Pecus lanigerum : eximia pulchritudine Duos—.* Adde quod in altero isto versiculorum ordine non placet *pecus* de duobus.

66. *Liquier.*] Interpretatur Ernestius *delabi* et quasi *defluere*; recte, opinor. Affert Hotting. *Lucret.* ii. 1131, “*in partem pejorem liquitur aetas.*” Frustra autem Dav. conj. *nitier*.

67. *Quae in vita usurpant homines, etc.*] Cf. Nostrum infra ii. 62.

68. *Quaeque agunt vigilantes.*] Davisii ed. altera *aiunt*, mendose.

69. *Ea si cui . . . accidunt.*] Davisius e suis *accidant*; sed recte Moseri codices indicativum tuentur.

Minus mirandum est: sed in re tanta haud temere invisa<sup>70</sup> se offerunt. Proin vide, ne, quem tu esse hebetem deputes, aequo ac pecus, - Is sapientia munitum pectus egregium gerat, Teque regno expellat. Nam id quod de sole ostentum<sup>71</sup> est tibi, Populo commutationem rerum portendit fore Perpropinquam<sup>72</sup>. Haec bene verruncent<sup>73</sup> populo: nam quod ad<sup>74</sup> dexteram Coepit<sup>75</sup> cursum ab laeva signum praepotens; pulcherrume Auguratum est, rem Romanam publicam summam fore.

**XXIII.** Age nunc ad externa redeamus. Matrem Phalaridis scribit Ponticus Heraclides, doctus vir, auditor et discipulus Platonis, visam esse videre in somnis simulacra deorum, quae ipsa Phalaridis<sup>76</sup> domi consecravisset: ex his Mercurium e patera, quam dextera manu teneret, sanguinem visum esse fundere; qui quum terram adtigisset, refervescere videretur sic, ut tota domus sanguine redundaret. Quod matris somnium

**70. Haud temere invisa se offerunt.]** Corrupte vulgati haud temere improviso offerunt. Cod. Cantab. improviso se offerunt; Eliens. autem h. t. *visa* afferunt: unde legere jubet Dav. *visa* se offerunt, quomodo jam emendaverat etiam G. I. Vossius. Idque probat Hottinger.: fuisse tamen ait, quum potius existimaret legendum haud temere invisa se offerunt, interpretandumque: "Mirum non est somnia nobis referre ea, quae vigilantes egimus aut vidimus. Sed si non *visa*, non gesta, nobis offerunt, illud quidem, praesertim in re magna, h. e. si rem novam ac singularem nobis objiciunt, haud temere fieri censemendum est." Quam viri docti conjecturam, etsi abjecit ipse, omnino ego suscipiendam putavi.—Supra in re tanta: praepositionem in monet Dav. etiam ante consonantem pro brevi syllaba poni, ex Chr. Wasio de Senar. p. 181.

**71. Ostentum est.]** Alii codices ostensem.

**72. Perpropinquam.]** Legebatur olim *Perpropinqua*, quod pro adverbio accipiebat Gulielmius; in eaque lectione si conspirarent Codices, ego tolerandam putarem. Nam, quod ait Davisius, barbarus sit oportere, qui *propinque fore* rerum commutationem dicat; id ego viro doctissimo non concesserim: vide ad *Sallust.* B. J. xiv. 25. Nunc vero recepta

lectio etiam in codicibus satis multis exstat.

**73. Bene verruncent.]** Bene vertant. Vide *J. F. Gronov.* ad *Liv.* xxix. 27.

**74. Nam quod ad dexteram.]** Monet Davisius, voculas *quod ad* apud Dramaticos unius tantum syllabae saepe locum tenere; ex *Chr. Wasio de Senar.* p. 166.

**75. Coepit cursum.]** Nescio an *Cepit* potius scribendum sit. Sueton. in *Oth.* 6., "Deficientibus lecticariis, descendit cursumque *cepit*." Etsi novi, exempla verbi *coepio* apud *Plautum* exstare.

**76. Quae ipsa Phalaridis domi consecravisset.]** I. e. in domo Phalaridis: cf. *ad Att.* i. 12., "P. Clodium . . . deprehensum domi C. Caesaris." Revocavi lectionem ante Gruterum vulgatam. Nempe quod dedit vir ille doctus *quae ipsa Phalaris*, non ego quidem crediderim in simulacris deorum consecrandis istum tyrannum multum operae posuisse. Non secus autem ac nos locum intelligebat Nizolius, qui quidem etiam scribit inverso ordine *domi Phalaridis*. Cod. Balliol, *quae ipse Phalaridis*; unde legendum censebat Dav. *quae ipse Phalaris*, frustra; etsi hujus sententiam recentiores fere sequuti sunt, usque ad Moserum, qui, hortante Goerenzio, omnino nomen *Phalaridis* sive *Phalaris* temere delevit.

immanis filii crudelitas comprobavit. Quid ego, quae magi Cyro illi principi interpretati sunt<sup>77</sup>, ex Dionis<sup>78</sup> Persicis proferam? Nam quum dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra adpetivisse manibus, quum se convolvens sol elaberetur et abiret: ei magos dixisse (quod genus sapientium et doctorum<sup>79</sup> habebatur in Persis) ex triplici adpetitione solis, xxx. annos Cyrum regnatum esse, portendi<sup>80</sup>. Quod ita contigit: nam ad septuagesimum pervenit, quum XL. natus annos regnare coepisset. Est profecto quiddam etiam in Barbaris gentibus praesentiens atque divinans: si quidem ad mortem proficiscens Calanus Indus, quum inscenderet in rogam ardentem, O praeclarum discessum, inquit, e vita, quum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem<sup>81</sup> animus excesserit! Quumque Alexander eum rogaret, si quid vellet, ut diceret; Optume<sup>82</sup>, inquit: propediem te videbo. Quod ita contigit: nam Babylone paucis post diebus Alexander est mortuus. Discedo parumper a somniis; ad quae<sup>83</sup> mox revertar. Qua nocte<sup>84</sup> templum Ephesiae Diana deflagravit, eadem constat ex Olympiade natum esse Alexandrum; atque, ubi lucere coepisset, clamitasse magos, pestem ac perniciem Asiae proxima nocte natam. Haec de Indis, et Magis. Redeamus ad somnia.

XXIV. Hannibalem Caelius scribit, quum columnam auream, quae esset in fano Junonis Laciniae<sup>85</sup>, auferre vellet, dubitaretque, utrum ea solida esset an extrinsecus inaurata, perturbavisse: quumque solidam invenisset, statuissetque tollere; ei secundum quietem<sup>86</sup> visam esse Junonem praedicere<sup>87</sup>, ne id

77. *Quae . . . interpretati sunt.]*  
Dav. ex Parisino sint, frustra.

78. *Ex Dionis Persicis proferam.]* Ita e veteri libro suo scribendum monuit Muretus, *Var. Lect. xi. 14.*, quum in vulgatis legeretur *ex Dionysii Persicis libris prof.*: Diononis enim Persica saepe et ab Atheneo et a Diogene Laertio citari.

79. *Quod genus sapientium et doctorum habebatur.]* I. e. in sapientibus et doctis habebatur. Est utique haec quaedam attractio.

80. *Portendi.]* Omittunt codices apud Moserum duo, et ed. Ascens. I.; adde Harl. 3.

81. *In lucem.]* In aetherem. Conf., monente Kaysero, *Tusc. i. 19.*

82. *Optume, inquit.]* Benigne facis, inquit: igitur hoc dico, Propediem te videbo. Sic cum ironia etiam *Acad. iv. 36.*, “Non me qui-

dem, inquit, sed sapientem dico scire. *Optume:* nempe ista scire, quae sunt in tua disciplina.”

83. *Ad quae mox revertar.]* Harl. 1. et 3. (in secundo lacuna est), Leidenses tres, item . . . alii atque. Tamen vulgatam probo; neque hoc loco de antiqua copulae scriptione cogitandum arbitror.

84. *Qua nocte.]* Conf. *N. D. ii.*  
27. Harl. 1. delet *esse.*

85. *Junonis Laciniae.]* Cf. *Liv. xxiv. 3.*

86. *Secundum quietem.]* Sic etiam ii. 61. bis, et 66.; pro *in quiete*, quod infra est c. 25.

87. *Praedicere.]* Monere, vetare. Contulit Hottinger. *Nep. Themist. 7.*, “Iis praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent, quam ipse esset remissus.” ubi plura Bo- sius.

faceret, minarique, si fecisset, se curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret<sup>88</sup>, amitteret: idque ab homine acuto<sup>89</sup> non esse neglectum: itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam, et eam in summa<sup>90</sup> columnā collocavisse. Hoc idem<sup>91</sup> in Sileni, quem Caelius sequitur, Graeca historia est: is autem diligentissime res Hannibalis persequutus<sup>92</sup> est: Hannibalem, quum cepisset Saguntum, visum esse in somnis a Jove in deorum concilium vocari: quo quum venisset, Jovem imperavisse, ut Italiae bellum inferret, ducemque ei unum<sup>93</sup> e concilio datum; quo illum utentem, cum exercitu progredi coepisse: tum ei ducem illum paecepisse, ne respiceret: illum autem id diutius facere non potuisse, elatumque cupiditate respexisse: tum visam beluam vastam et immanem, circumPLICATAM serpentibus, quacumque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta<sup>94</sup> pervertere: et eum admiratum quaesisse de deo, quodnam illud esset tale monstrum: et deum respondisse, Vastitatem esse Italiae: paecepisseque, ut pergeret protinus: quid retro atque a tergo fieret, ne laboraret. Apud Agathoclem scriptum in historia est, Hamilcarem Karthaginiensem, quum oppugnaret Syracusas, visum esse audire vocem, se postridie coenaturum Syracusis: quum autem is dies illuxisset, magnam seditionem in castris ejus inter Poenos et Siculos milites esse factam: quod quum sensissent Syracusani, improviso eos in castra irrupisse, Hamilcaremque ab iis vivum esse sublatum. Ita res somnum comprobavit. Plena exemplorum est historia, tum referta vita communis. At vero P. Decius ille, Q. F., qui primus e Deciis consul fuit, quum esset tribunus militum, M. Valerio, A. Cornelio consulibus, a Samni-

88. *Quo bene videret.*] Nescio an mallem *uteretur*. De altero autem Hannibalis oculo amissō, vide *Liv.* xxii. 2.

89. *Idque ab homine acuto non esse neglectum.*] Acutus quamvis fuerit veteris militiae princeps, tamen h. l. scribendum censeo, una transposita litera, *ab homine CAUTO*. Profecto apertior erat ista Junonis admonitio, quam ut ad eam intelligendam magno aliquo acumine opus esset.

90. *In summa columnā.*] In multis codicibus dederunt librarii *in summo columnae*; idque potuit Gruterus probare. Piget refellere.

91. *Hoc idem.*] Volunt Lambinus et Davisius item vel *itidem*. Nescio

an interpretari liceat, Hoc etiam ejusdem generis—.

92. *Diligentissime res Hannibalis persequutus est.*] Cf. *Sallust. B. J.*

95. "L. Sisenna, optume et diligentissime omnium, qui eas res dixere, *persequutus*, parum mihi libero ore loquutus videtur."

93. *Ducemque ei unum e concilio datum.*] Malim *rō unum abesse*, quod quidem etiam in codice apud Mosecum locum mutat. Vide ad *Sallust. Catil. 32. extr.*

94. *Arbusta, virgulta, tecta.*] Mire *tecta* componi cum arbustis ac virgultis notat Orellius; et conjicit leg. *tesca*: qua voce etiam usum esse Cic. docet Festus. Ceterum ad rem cf. *Liv. xxi. 22.*

tibusque premeretur noster exercitus; quum pericula proeliorum iniret audacius, monereturque, ut cautior esset, dixit, quod exstat in annalibus, sibi in somnis visum esse, quum in mediis hostibus versaretur, occidere cum maxima gloria. Et tum quidem incolumis exercitum obsidione liberavit. Post triennium autem, quum consul esset, devovit<sup>95</sup> se, et in aciem Latinorum irruptit armatus: quo ejus facto superati sunt et deleti Latini. Cujus mors ita gloriosa fuit, ut eamdem concupiseret filius<sup>96</sup>. Sed veniam nunc, si placet, ad somnia philosophorum.

**XXV.** Est<sup>97</sup> apud Platonem Socrates, quum esset in custodia publica, dicens Critoni suo familiari, sibi post<sup>98</sup> tertium diem esse moriendum: vidisse<sup>99</sup> se in somnis pulchritudine eximia feminam, quae se nomine appellans, diceret Homericum quemdam<sup>1</sup> ejusmodi versum,

Tertia te Phthiae<sup>2</sup> tempestas<sup>3</sup> laeta locabit.

Quod ut est dictum, sic scribitur contigisse. Xenophon Socratus (qui<sup>4</sup> vir et quantus!) in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus est, sua scribit somnia; quorum eventus<sup>5</sup> mirabiles extiterunt. Mentiri Xenophontem an delirare dicemus? Quid? Singulari vir ingenio Aristoteles, et paene divino, ipsene errat, an alios vult errare? quum scribit, Eudemum Cyprium, famili-

95. *Devovit se.]* Lege *Liv.* viii. 6—9.

96. *Ut eamdem concupiseret filius.]* Eamdem filius, eamdem nepos: cf. *de Fin.* ii. 19., *Tusc.* i. 37.

97. *Est apud Platonem Socrates.]* I. e. inducitur: cf. *Orat.* 13., “*Est enim, ut scis, quasi in extrema pagina Phaedri his ipsis verbis loquens Socrates.*”

98. *Post tertium diem.]* I. e. tertio post die: sic *Sallust. Jug.* 102. post diem quintum; 109. post diem decimum; 112. post diem octavam: adde *Liv.* vi. 1. extr. Integrum formulam esse putato, post tertium diem *exortum, et ante eundem exactum.*

99. *Vidisse se in somnis.]* Addit Dav. enim, ex duobus: sed istam particulam saepissime subaudiri docet *Th. Wopkens., Lect. Tull.* i. 8. p. 43, 44.

1. *Homericum quemdam ejusmodi versum.]* Sed persona ad rem accom-

modata: nempe ex sua persona dicit Achilles, “*Ηματί κεν τριτάρῳ Φθίην ἐριβωλον ικοίμην.*

2. *Tertia te Phthiae—.]* Utique mori Socrati erat quasi domum atque in patriam redire, ut recte intelligit Jortinus in *Misc. Obs.* iii. p. 7.; quum alii frustra interpretationem ab etymo nominis *Phthia* repeterent, quasi esset a φθίνω. Infra h. c. de Eudemo: “ut, quum animus Eudemus e corpore excesserit, tum *domum revertisse* videatur.”

3. *Tertia . . . tempestas.]* Dies. *Horat. Serm.* i. 5. 96., “*Postera tempestas melior.*”

4. *Qui vir et quantus?] Cf. N. D.* i. 26., “*Xenocratem audire potuit: quem virum! dii immortales! et sunt qui putent audisse.*”

5. *Quorum eventus—.]* Codd. Moseri plures *exitus*, quomodo ante Gruterum legebatur.

arem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse; quae erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur<sup>6</sup>: in eo igitur oppido ita graviter aegrum Eudemum fuisse, ut omnes medici differenter: ei visum in quiete egregia facie juvenem dicere, fore ut per brevi convalesceret; paucisque diebus interitum Alex- andrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse redditum. Atque ita<sup>7</sup> quidem prima statim seribit Aristoteles consequuta, et convaluisse Eudemum, et ab uxoris fratribus interfactum tyrannum: quinto autem anno exeunte, quum esset spes ex illo somnio in Cyprum illum ex Sicilia esse redditum, proeliantem eum ad<sup>8</sup> Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut, quum animus Eudemii e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur. Adjungamus philosophis doctissimum hominem, poëtam quidem divinum, Sophoclem: qui, quum ex aede Her- culis patera aurea gravis surrepta esset, in somnis vidit ipsum deum dicentem, qui id fecisset. Quod semel ille iterumque neglexit. Ubi idem saepius; escendit<sup>9</sup> in Areopagum: detulit rem<sup>10</sup>. Areopagitae comprehendi jubent eum, qui a So- phocle erat nominatus. Is, quaestione adhibita<sup>11</sup>, confessus est, pateramque retulit. Quo facto, fanum illud Indicis Her- culis nominatum est.

**XXVI.** Sed quid ego Graecorum? Nescio quo modo me magis nostra delectant. Omnes hoc<sup>12</sup> historicci, Fabii, Gellii, sed proxume Caelius: Quum bello Latino ludi votivi maxumi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata. Itaque, ludis intermissis, instaurativi constituti sunt: qui antequam fierent, quumque jam populus consedisset, servus per circum, quum virgis caederetur, furcam ferens ductus est. Exin cui-

6. *Crudeli dominatu tenebatur.]* Cf. de *Off.* ii. 1., "quum autem do- minatu unius omnia tenerentur." Male ergo codd. multi premebatur.

7. *Atque ita quidem—.]* Pro *ita* vult Dav. *ista*, perperam: in eadem particula lapsus est *Cortius* ad *Sallust.* *Jug.* 53.; ubi vide nos.

8. *Ad Syracusas.]* Cf. ad *Fam.* xv. 2., "Castra ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, lo- cavi." et *Brut.* 3., "Primum Mar- celli ad Nolam proelio populus se Romanus erexit." Adde infra ii. 8.

9. *Escendit in Areopagum.]* Re- ceipi veterem scripturam, quam jam Gruterus reponi volebat, *escendit* pro

vulg. *ascendit.* Harl. I. *descendit*, 3. *scendit.* Sed fortasse recipiendum est etiam illud quod habent et codd. duo Davisii (quibus addas Leid. 3. apud Moser.) et edd. nonnullae, *Arium pagum.*

10. *Detulit rem.]* Utique somnium suum. *Frustra reum corrigit* Valkenarius ad Herodotum. Cf. c. 26., "rem ad amicos detulisse."

11. *Quaestione adhibita.]* Quaes- tione *habita* per tormenta *adhibita*. *Frustra Davisius* ex duobus *quaestione habita*.

12. *Omnes hoc historicci.]* Nempe quod pergit memorare.

dam<sup>13</sup> rustico Romano dormienti visus est venire, qui diceret, praesulem<sup>14</sup> sibi non placuisse ludis, idque ab eodem jussum<sup>15</sup> esse eum senatui nuntiare: illum non esse ausum: iterum esse idem visum, et monitum ne vim suam experiri<sup>16</sup> vellet: ne tum quidem esse ausum: exin filium ejus esse mortuum: eamdem in somnis admonitionem fuisse tertiam: tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum; quumque senatui somnium enarravisset, pedibus suis salvum revertisse<sup>17</sup>. Itaque somnio comprobato a senatu, ludos illos iterum instauratos memoriae proditum est. C. vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eumdem Caelium est, sibi in somnis, quaesturam petenti<sup>18</sup>, Ti. fratrem visum esse dicere, Quam<sup>19</sup> vellet cunctaretur, tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundum. Hoc, antequam tribunus plebi C. Gracchus factus esset, et se audisse scribit Caelius, et dixisse<sup>20</sup> multis. Quo somnio quid inveniri potest certius?

**XXVII.** Quid? Illa duo somnia, quae creberrume commemorantur a Stoicis, quis tandem potest contemnere? unum de Simonide: qui quum ignotum quemdam projectum mortuum vidisset, eumque humavisset, haberetque in animo navem<sup>21</sup> descendere; moneri visus est, ne id faceret, ab eo quem sepultura adfecerat: si navigasset, eum naufragio esse peritum: itaque

13. *Cuidam rustico Romano.*] Cf. *Liv.* ii. 36.

quantum vellet: cf. *N. D.* ii. 17., “Hic quam volet Epicurus jocetur.”

14. *Praesulem.*] Recte reposuit Gruterus e codicibus, quum antea legeretur *praesultorem*. Quod vero junxit Moserus *praesulem ludis*, ut *ludis* sit dativus, ejus rationi videtur ordo verborum obstarre.

20. *Et dixisse multis.*] Ipsum intelligo Gracchum dixisse, negligens quantumvis oratio sit, neque Hottingeri conjecturam multos probo: supra, “C. vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eumdem Cae- lium est.”

15. *Jussum esse eum—.*] Transit ad obliquam orationem: et sic iterum infra c. 34. Contraria autem transitio ab obliqua ad rectam est infra c. 29.

21. *Haberetque in animo navem descendere.*] Delet *navem* cod. Balliol. Davisii; idque eleganter poterat reticeri; etsi aliter Moserus censem. Nimirum quod supra dixit Cicero, *projectum*, idem est ac si dixisset *in litore*. Nam sua sponte quemque legentem opinor naufragio ejectum intelligere. Sed mutato verborum ordine, id quod operae pretium est animadvertere, quum ignotum quemdam mortuum vidisset *projectum*, ita demum cadaver inhumane foras *projectum* intelligas. Centerum rem latius diducit, ut monet Davisius, *Valer. Max.* i. 7. 3. extr.

16. *Ne vim suam experiri vellet.*] Sallust. *B. J.* 32. extr., “Ne vim, quam misericordiam, experiri mallet.” ubi vide.

17. *Pedibus suis salvum revertisse.*] Frustra Davisius *domum* adsusit, ex codd. duobus et Victorio.

18. *Quaesturam petenti.*] Duo Davisii *ante quaesturam*; cujus etiam reliqui voce *petenti* carebant; pro qua exhibet cod. Monacens. apud Moserum *petitam*.

19. *Quam vellet cunctaretur.*] I. e.

Simonidem redisse; perisse ceteros, qui tum navigassent. Alterum ita traditum<sup>22</sup>, clarum admodum somnium. Quum duo quidam Arcades familiares iter una facerent et Megaram venissent, alterum ad cauponem devertisse, ad hospitem alterum: qui ut<sup>23</sup> coenati quiescerent, concubia<sup>24</sup> nocte visum esse in somnis ei qui erat in hospitio, illum alterum orare, ut subveniret<sup>25</sup>, quod sibi a caupone interitus pararetur: eum primo perterritum somnio surrexisse: dein quum se collegisset idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse<sup>26</sup>: tum ei dormienti eumdem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur: se interfectum, in plastrum a caupone esse conjectum, et supra stercus injectum: petere<sup>27</sup>, ut mane ad portam adesset, priusquam plastrum ex oppido exiret: hoc<sup>28</sup> vero eum somnio commotum, mane bubulco praesto<sup>29</sup> ad portam fuisse: quaevisse ex eo, quid esset in plaastro: illum perterritum fugisse: mortuum erutum esse: cauponem, re patefacta, poenas dedisse.

XXVIII. Quid hoc somnio dici potest divinius<sup>30</sup>? Sed quid aut plura, aut vetera quaerimus? Saepe tibi meum narravi; saepe ex te audivi tuum somnium: Me, quum Asiae provinciae<sup>31</sup> praeessem, vidiisse in quiete, quum tu equo advectus

22. *Alterum ita traditum.*] Traditum est, intelligo ego; neque nimis anxie verbum contempnere in memoria tenendum arbitror. Hoc autem somnium aliter paulo tradit scriptor Graecus apud *Suidam* in *τιμωροῦντος*, monente Victorio.

23. *Qui ut coenati quiescerent.*] Ut pro postquam est Ciceroni usitatum: cf. *N. D.* i. 6, ii. 35., *Tusc.* iv. 4. et 22. Iterum etiam in obliqua structura infra c. 28.

24. *Concubia nocte.*] Tempus est, ut verbis poëtae utar, "quo prima quies mortalibus aegris Incipit." ubi vide *Servium*. Sic, apud *Nonium* ii. 175., *Sisenna* iv. *Hist.*, "Ipsi legati concubia nocte oppido digressi jam supra hostium munitionem succedunt." *Liv.* xxv. 9., "Hannibal concubia nocte movit."

25. *Ut subveniret.*] Delet Harl. I.; item Monacensis apud Moserum.

26. *Recubuisse.*] Iterum lecto se dedisse. Mox Harl. I. *obdormienti.*

27. *Petere.*] Delet Harl. I.

28. *Hoc vero eum somnio commotum.*] Harl. I. *Hic vero—.* In ordine autem verborum codices sequutus sum: vulg. *H. v. s. eum.*

29. *Bubulco praesto . . . fuisse.*] Cf. pro *Caec.* 30., "Si qui mihi praesto fuerit . . . et me introire prohibuerit."

30. *Dici potest divinius.*] Dedit hoc ordine Davisius, pro *d. divinius p.*, recte; cf. c. 26. extr., "Quo somnio quid inveniri potest certius?" item h. c. extr.

31. *Quum Asiae provinciae praeessem.*] Editi fere post Gruterum quum *Asiae Proconsul praeessem*; et satis constat aliquoties Cic. eos *proconsules* appellare qui nonnisi *praetoris* imperium haberent; ut loco quidem movenda non esset ista lectio, si modo aliquis codicum numerus eam sustentaret. Nunc vero quum habeant codd. longe plures quidem *provinciae*, alii autem multi *provincias*, denique reliqui dubium compendium *procis*, nihil necesse est

ad quamdam<sup>32</sup> magni fluminis ripam, proiectus subito, atque delapsus in flumen, nusquam adparuisse, me contremuisse, timore perterritum: tum te repente laetum exstisset<sup>33</sup>, eodemque equo adversam adscendisse ripam, nosque inter nos esse complexos. Facilis conjectura<sup>34</sup> hujus somnii: mihi a peritis in Asia praedictum est, fore eos eventus rerum qui acciderunt. Venio nunc ad tuum. Audivi equidem ex te ipso, sed mihi saepius noster Salustius<sup>35</sup> narravit; quum in illa fuga, nobis gloriosa, patriae calamitosa, in villa quadam campi Atinatis maneres<sup>36</sup>, magnamque partem noctis vigilasses, ad<sup>37</sup> lucem denique arte te<sup>38</sup> et graviter dormitare coepisse. Itaque, quamquam iter instaret, se tamen silentium fieri jussisse, neque esse passum te excitari: quum autem experrectus essem hora secunda fere, te sibi somnum narravisse: Visum tibi esse, quum in locis solis<sup>39</sup> moestus errares, C. Marium cum fascibus laureatis<sup>40</sup> quaerere ex te, quid tristis essem: quumque tu te patria vi pulsum esse dixisses, prehendisse eum dexteram tuam, et bono animo te jussisse esse, lictorique proxumo tradidisse, ut te in monumentum suum deduceret; et dixisse, in eo tibi salutem fore. Tum et se exclamasse Salustius narrat, redditum tibi

incertam conjecturam sequi, in qua praesertim etiam negligentia insit.—Supra Harl. I., sicut etiam Monacens., saepe ex te tuum audivi, omisso somnum.

32. *Ad quamdam magni fluminis ripam.*] Harl. I. a quibusdam magis: voluerat librarius aliquis, ad cuiusdam magni fl. r. Idem codex proiectus subitoque lapsus.

33. *Exstissete.*] Infra c. 33., “Submersus equus voraginibus non exstitit.” c. 57., de ortu Caniculae, “si obscurior . . . stella extiterit, . . . : sin illustris . . . apparuerit,—.”

34. *Facilis conjectura h. somni.*] Infra ii. 63., “Si jam fieri possit vera conjectura somniorum.”

35. *Noster Salustius.*] Ita, simplici litera *l*, hoc nomen scribunt Harl. I. et 3. (in 2. lacuna est), quomodo jam edidit Moserus. Fuit autem iste Salustius libertus Ciceronis.

36. *Maneres.*] Vide supra ad c. 15.

37. *Ad lucem denique.*] Cf. Cic. Brut. 97., “Quorum tamen ipsorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit.” Varr. de R. R. iii. 5., de turdis, “Quotannis in Italianam trans mare advolant, circiter aequi-

noctium autumnale, et eodem revolant ad aequinoctium vernum.” Infra c. 46., *ad-vesperum*.

38. *Arte te et graviter dormitare coepisse.*] In arctum te et gravem somnum incidisse. *De Inv.* ii. 4., “Postquam illos artius jam, ut fit, ex lassitudine dormire sensit.” *Arte pro arte* scribit Harl. I. Pronomen *te* addidi, monente F. A. Wolfio; quod quam facile excidere potuerit, in aperto est. Infra cum eodem scripsi *se tamen*, nempe vigilantem Salustum potius quam dormientem Ciceronem (vulg. *te tamen*); etsi hoc quidem jam ultro correxeram.

39. *In locis solis.*] Solitariis. *Salust. B. J.* 103., “Marius . . . proficiscitur in loca sola, obsecsum turrim regiam.” Quamquam nostris libris vox *solis* deest.

40. *Cum fascibus laureatis.*] Harl. I. *laureatum*, male: cf. *ad Att.* vii. 10., *lictores laureati*. Infra codd. Harl. quoque, sicuti Palatini, *cumque te tu patria*: delevi autem cum Mosero supervacaneum *tua* ante *patria*.—De proximo *lictore* autem v. Interpretes ad *Liv.* xxiv. 44. extr.

celerem<sup>41</sup> et gloriosum paratum, et te ipsum visum somnio delectari: nam illud mihi ipsi celeriter nuntiatum est, ut audivisses in monumento<sup>42</sup> Marī de tuo reditu magnificentissimum illud senatus consultum esse factum, referente optumo et clarissimo viro consule, idque frequentissimo theatro, incredibili clamore et plausu comprobatum; dixisse te, nihil illo Atinati somnio fieri posse divinius.

**XXIX.** At multa falsa. Immo obscura fortasse<sup>43</sup> nobis. Sed sint falsa quaedam: contra vera quid dicimus? quae quidem multo plura evenirent, si ad quietem integri iremus: nunc onusti cibo et vino, perturbata et confusa cernimus. Vide quid Socrates in Platonis *Politia*<sup>44</sup> loquatur. Dicit enim: *Quum dormientibus ea pars animi, quae mentis et rationis sit particeps, sopia langueat; illa autem, in qua feritas quaedam sit atque agrestis immanitas, quum sit immoderato tumefacta<sup>45</sup> potu atque pastu, exsultare eam in somno immoderateque jactari: itaque huic<sup>46</sup> omnia visa objiciuntur<sup>47</sup>, a mente ac ratione vacua; ut aut cum matre<sup>48</sup> corpus miscere videatur, aut cum quovis alio vel homine vel deo, saepe belua, atque etiam trucidare aliquem et impie crudelari, multaque facere impure atque taetre, cum temeritate et impudentia. At qui salubri et moderato cultu atque victu quiete se tradiderit, ea parte animi, quae mentis et consilii est, agitata<sup>49</sup> et erecta, saturataque bonarum cogitationum epulis; eaque<sup>50</sup> parte animi, quae voluptate alitur, nec inopia enecta nec satietate<sup>51</sup> adfluenti (quorum utrumque, praestringere aciem*

41. *Reditum tibi celerem et gloriosum.]* Scripsit Moserus cum Schuetzio celebrem pro celerem e conj. Herelii. At verissimam esse vulgatam docet Orell., geminum locum conferens ad *Fam.* vi. 6., "te de gloriose et celeri reditu meo confirmare."

42. *In monumento Marii.]* In aede Jovis Mariana: cf. *Valer. Max.* i. 7. 5. De isto autem magnif. S. C. vide *Cic. in Pison.* 15., pro *Sext.* 55.

43. *Immo obscura fortasse nobis.]* Harl. I. *fortassis;* quae forma adverbii legitur apud Nostrum pro *Sext.* 5., "Quot stimulos admoverit homini, studioso *fortassis* victoriae, sed tamen nimium communem Martem bellique casum metuenti?" Eam autem declarare arbitror *fortasse, sis,* h. e. si vis.

44. *In Platonis Politia.]* Initio lib. ix.

45. *Immoderato tumefacta potu.]* Dedit *tumefacta* Davisius ex Eliensi,

pro *obstupefacta*; eamque lectionem etiam in edd. *Asc.* 2., *Crat.* *Herw.*, reperit Moserus.

46. *Itaque huic—.]* Homini sic affecto.

47. *Objiciuntur.]* Animadvertenda ab obliqua oratione ad rectam transitio.

48. *Cum matre ] Cf. Soph. Oed. T. 981—2.*

49. *Agitata.]* Contulit Moser. *Somn. Scip.* 9., "optimis curis . . . agitatus et exercitatus animus." *Tusc.* v. 23., "mens rationibus *agitandis* exquirendisque alitur." Infra ii. 63., "mobiliter animus *agitatus*."

50. *Eaque parte animi,—.]* Copulae vim tribuit Moserus discretivam, ut *eaque* positum sit pro *ea autem*: sed, quum etiam infra sit "illa etiam *tertia* parte," non aliam quam copulandi vim agnoscendam censeo.

51. *Nec satietate adfluenti.]* Nec copia sive abundantia ad satietatem adfluenti.

mentis solet, sive deest naturae quidpiam, sive abundat atque adfluit<sup>52</sup>); illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exsistit ardor, sedata atque restincta: tum eveniet, duabus animi temerariis<sup>53</sup> partibus compressis, ut illa tertia pars rationis<sup>54</sup> et mentis eluceat, et se vegetam ad somniandum acremque praebeat: tum ei visa quietis<sup>55</sup> occurrent tranquilla atque veracia. Haec verba ipsa Platonis expressi.

XXX. Epicurum igitur audiemus potius? namque Carneades, concertationis studio, modo ait<sup>56</sup> hoc, modo illud. At ille quid sentit? sentit autem nihil umquam elegans, nihil decorum. Hunc ergo antepones Platoni et Socrati? qui ut<sup>57</sup> rationem non redderent, auctoritate tamen hos minutos philosophos vincerent. Jubet igitur Plato, sic ad somnum proficisci corporibus affectis<sup>58</sup>, ut nihil sit quod errorem animis perturbationemque adferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum<sup>59</sup> putatur, ne faba vescerentur, quod habet<sup>60</sup> inflationem

52. *Sive . . . adfluit.*] Cf. *Sallust. Catil.* 36., “Cui quum . . . otium dicitiae . . . adfluerent.”

53. *Duabus animi temerariis partibus.*] Cf. *Longin. § 32. extr., δύοι πάθεσι χρησάμενος ἀρίστος. Sallust. B. J.* 64., “Ita cupidine atque ira, pessumis consultoribus, grassari.” *Harl. I. duabus quasi compr. t. p.*, omisso animi. Frustra autem Dav. suspectam habuit vocem temerariis.

54. *Illa tertia pars rationis et mentis.*] Illa tertia pars animi, quae pars est rationis et mentis; illa tertia pars, nempe *ratio et mens*. Ita plane appositionem neglexit Cicero *N. D.* i. 32., et maluit paulo negligenter genitivum adhibere, “Et tu quidem, Vellei, non vestro *more*, sed *dialecticorum, . . . argumenti* sententiam conclusisti.” i. e. *dialecticorum more, nempe more argumenti*.

55. *Tum ei visa quietis occurrent—.*] I. e. in quiete: infra c. 43., *quietis oracula*.

56. *Modo ait hoc, modo illud.*] *Harl. I. modo hoc, modo ait illud;* duo vero Moseri etiam utroque loco ait ostendunt: at id arbitror esse potius subaudiendum utrobique. Cf. *N. D.* i. 18., “Nam Cotta meus modo *hoc*, modo *illud*.”

57. *Qui ut rationem non redde rent.*] Tantumdem Platoni suo tribuit Noster *Tusc.* i. 21., “Ut enim

rationem Plato nullam afferret, (vide quid homini tribuam) ipsa auctoritate me frangeret.” Particula autem *ut pro etiamsi Ciceroni usitata est:* sic, etiam tamen sequente, *de Orat.* ii. 63., *in Verr.* iii. 64., *Phil.* x. 10., *ad Att.* ii. 15., vii. 13., *de Fin.* iv. 19. (bis) et 24., *de Rep.* i. 6., *de Fato* 5., et 20.; adde emendationem nostram infra ii. 68.

58. *Sic . . . corporibus affectis.*] Sic habitis atque paratis. *De Fin.* v. 9., “Omne animal . . . id agit, ut . . . ita sit *affectum*, ut optime secundum naturam affectum esse possit.” Infra c. 51., “Si modo temperatis escis modicisque potionibus ita est *affectus* (*animus*), ut, sopito corpore, ipse vigilet.”

59. *Pythagoricis interdictum.*] Pythagoras cur fabis abstinendum docuerit, multa ridicula commenta allata sunt. Sed recte, opinor, praeceptum illud interpretantur qui metaphoram agnoscent, (ut *Plutarchus*, libro *de Liberis Educandis*,) qua monuerit philosophus a republica ac studiis partium abstinendum esse: nimirum in suffragiis ferendis fabis utebantur.

60. *Quod habet infl. m.*] I. e. secum affert: sic infra ii. 46., “Quid? dissimilitudo locorum nonne dissimilis hominum procreationes *habet?*”

magnam is cibus, tranquillitati mentis quaerenti<sup>61</sup> vera contraria. Quum ergo est somno sevocatus animus a societate et a contagione corporis, tum meminit praeteritorum, praesentia cernit, futura praevidet: jacet enim corpus dormientis, ut mortui; viget autem et vivit<sup>62</sup> animus: quod multo magis faciet post mortem, quum omnino corpore excederit. Itaque, adpropinquante morte, multo est divinior<sup>63</sup>. Nam et id ipsum vident, qui sunt morbo gravi et mortifero affecti, instare mortem. Itaque his occurunt plerumque imagines mortuorum; tumque vel maxime laudi student; eosque, qui secus quam decuit vixerunt, peccatorum suorum tum maxime poenitet. Divinare autem morientis, illo etiam exemplo confirmat Posidonius, quo<sup>64</sup> adfert, Rhodium quemdam morientem sex aequalis nominasse et dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps<sup>65</sup> moriturus esset. Sed tribus modis censet deorum ad pulsu homines somniare: uno, quod praevideat<sup>66</sup> animus ipse per sese, quippe qui deorum cognitione teneatur: altero, quod plenus aëris sit immortalium<sup>67</sup> animorum, in quibus tamquam insignitae notae veritatis adpareant<sup>68</sup>: tertio, quod ipsi dii cum dormien-

61. *Tranquillitati mentis, quaerenti vera, contrariam.*] I. e., tranquillae menti contrariam; menti, quaerenti vera, ejusque tranquillitati, contrariam; menti contrariam, ne tranquillitate utatur. Conf. *N.D.* i. 4., “*Animi aegritudo, fortunae magna et gravi commota injuria,*” i. e. aegritudo ex animo commoto suscep-ta; ubi etiam Curtii locum contuli. *Ib.* ii. 28., “*Videtisne igitur, ut a physicis rebus, bene atque utiliter inventis, tracta ratio sit ad commentatio-nes et fictos deos?*” i. e. a physicis rebus, in quibus bene atque utiliter inventa est, tracta ratio sit. Et c. 40. extr., “*Quarum ita descripta dis-tinctio est, ut ex nota figurarum similitudine nomina invenerint.*” i. e. notarum; ubi plura. Neque ab re est illud *Aeschylī* conferre, *Prom.* 148., ‘*Ἐρωτιν ὄσσοις ὀμίχλῃ Προσῆγε πλήρης δακρύων Σὸν δέμας εἰσι δούσσα.*’ Frustra ergo Davisius e codd. suis dedit *quaerentis*; cui lectioni merito *κακοφωνίαν* objicit Hottinger, quam tollere frusta studet Rathius scribendo *quaerenti* vera. Neque satis acuta Ernestii argutiola, quae rem conficere Mosero videbat, videlicet “mentem quaerere ve-

ra, non tranquillitatem.” Nam ne istud quidem satis accurate dicatur, *mentem*, quoquo modo affectam, quaerere vera: at *tranquilla mens* sive *mentis tranquillitas*, ea demum quaerit vera. Et *quaerenti* tuentur Harleiani omnes.

62. *Viget autem et vivit animus.*] Harl. 1. *viget autem et viget a.*: voluerat, arbitror, librarius vivit et *viget*; frustra: Terentius, “*Valet atque vivit.*”

63. *Multo est divinior.*] Multo magis divinat et futura auguratur.

64. *Quo adfert.*] Quo allato refert. Harl. 1. *qui refert*; 3. *quod affert*. Nil mutandum.

65. *Qui secundus, qui deinceps.*] Sic Harl. 1. et 2., quomodo ante Gruterum etiam legebatur: qui quum ex Palatinis duobus merum interpretamentum recepisset, *qui deinde deinceps*, ex aliis libris etiam pronomen addidit Davisius, *qui deinde, qui deinceps*.

66. *Praevideat.*] Absolute.

67. *Plenus . . . immortalium animo-rum.*] Harl. 1. *immortalitate animo-rum.*

68. *Tamquam insignitae n. v. ad-pareant.*] Quibusnam istae apparent?

tibus colloquantur: idque, ut modo dixi, facilius evenit<sup>69</sup>, ad propinquante morte, ut animi futura augurentur. Ex quo et illud est Calani, de quo ante dixi, et Homerici Hectoris, qui moriens propinquam Achilli mortem denuntiat.

XXXI. Neque enim illud<sup>70</sup> verbum temere consuetudo adprobavisset, si ea res nulla esset omnino,

Praesagibat animus, frustra me ire, quum exirem domo<sup>71</sup>.

Sagire enim, sentire acute est: ex quo sagae anus, quia multa scire volunt, et sagaces dicti canes. Is igitur, qui ante sagit quam oblata res est, dicitur praesagire, id est, futura ante sentire. Inest igitur in animis praesagito extrinsecus injecta atque inclusa divinitus: ea si exarsit acerius, furor adpellatur, quum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatatur.

*H.* Sed quid oculis<sup>72</sup> rabere<sup>73</sup> visa est derepente ardentibus?  
Ubi illa paulo ante sapiens<sup>74</sup>, virginali modestia?

*C.* Mater, optumatum<sup>75</sup> multo mulier melior mulierum,  
Missa<sup>76</sup> sum superstitionis hariolationibus:

Ergo accipendum istud *appareant* pro simplici verbo substantivo: vide ad *N. D.* iii. 35. Mox Harl. 1. *lo-*  
*quantur.*

69. *Idque . . . facilius evenit.*] Atque, appropinquante morte, facilius id evenire solet, ut—. Harl. omnes evenit, sicuti etiam Davisii omnes, etsi hic eveniet edidit.

70. *Neque enim illud verbum.*] Nempe *praesagire*. Sequitur versus *Plauti, Autul. ii. 2. 1.*

71. *Quum exirem domo.*] Harl. 1. *domum.* Cf. *Terent. Hec.* iii. 3. 18., “*Jam ut limen exirem.*”

72. *Sed quid oculis etc.*] Versus priores duos, monuit Rathius, *Hecubaē esse, reliquos Cassandrae.* Enianos esse, verisimile est; etsi illum versum, *Adest, adest fax—*, Varroni tribuit Nonius: sed potuit Varro Ennii versum mutuo sumere. Immo haec Varronis esse plane non possunt, si quidem hinc jam remotioris antiquitatis exempla repetit Cicero in *Oratore*, c. 46.

73. *Rabere.*] Pro *rapere recte re-*  
posuit Lambinus; etiam in vet. cod.  
reperit Muretus, in quatuor Mose-  
rus: i. e. rabie agitari. Utuntur  
voce *Varro* et *Caecilius* apud No-  
niū i. 186.

74. *Ubi illa paulo ante sapiens.*] Dividit in pedes Davisius sic: *Ubi illa paulo | ante sapiens | virginali mo-|destia*: ut illa pro duabus brevibus accipendum sit, ut saepe; *virgi-|nali* autem syncopen patiatur, ut apud *Ennum*, “*Virg'nes nam sibi quisque domi Romanus habet sas.*” (h. e. *suas*: v. *Festum* p. 133.) Vide, eodem monente, *Chr. Wasium de Senar.* p. 18. et 56. sq.

75. *Mater, optumatum multo mu-*  
*lier melior mulierum.*] Vulgati *Mater optuma*, tum multo m. m. m.; scilicet “*egregie morata oratio*,” inquit Orellius, “*sed ἀμερός.*” *Optumatum* con-  
jecit Gulielmus, ceterum *Mater optumatum jungens*, an *optumatum mulierum*, haud constat. Hanc vero distinctionem potius cum Orellio prae-  
tuli. Frustra Davisius *Mater optuma*, tum multo—, tentavit, et Moserus *Mater optuma*, tute—. *Multo melior* autem pro *multo optuma* ex Graeco-  
rum more dictum docet Dav. *Muli-|erum* e codd. primus addidit Gruterus.

76. *Missa sum.*] Commissa, tra-  
dita, interpretatur Hottinger. *Superstitionis* autem, i.e. fatidicis; et sic iterum ii. 56.

Neque me Apollo fatis fandis dementem invitam<sup>77</sup> ciet.  
 Virgines vero aequales, patris mei<sup>78</sup> meūm factūm pudet,  
 Optumi viri: mea mater, tui me miscret, mei piget.  
 Optumam progeniem Priamo reperisti<sup>79</sup> extra<sup>80</sup> me: hoc dolet,  
 Med<sup>81</sup> obesse, illos prodesse, me obstare, illos obsequi.

O poëma tenerum et moratum<sup>82</sup> atque molle! sed hoc minus  
 ad rem. Illud, quod volumus, expressum<sup>83</sup> est, ut vaticinari  
 furor vera soleat<sup>84</sup>.

Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio:  
 Multos annos latuit<sup>85</sup>: cives, ferte opem, et restinguite.

Deus inclusus corpore humano, jam<sup>86</sup> non Cassandra loquitur.

Jamque mari magno classis cita  
 Texitur<sup>87</sup>: exitiūm<sup>88</sup> examen rapit:

77. *Neque me Apollo . . . invitam ciet.*] Et me non invitam. Utique id ultiro appetiverat Cassandra. Frustra, opinor, Hott. *Namque*. Animadvertisi autem hic quatuor versus in unam syllabam exeuntes.

78. *Patris mei meūm factūm pudet.*] Duplicem genitivum explicat Orell., "pudet me patris mei, optumi viri, propter mea facta." Quomodo junxit etiam Cicero in *Oratore*, c. 46.: nam perperam vulgati, *Virgines aequales patris mei, meūm factūm pudet, Optumi viri.* Mire tamen Bothius apud Orell. contra Ciceronis sententiam *meum factum pro accusativis accipit*; ut hoc dicat Cassandra, "pudet me patris mei, utique eum meum patrem factum esse, mulieris indignae."

79. *Opt. progeniem P. reperisti.*] Dedit Dav. ex Eliensi, id quod jam conjecterat Jo. Auratus, *peperisti*. Tamen interpretamentum esse existimo.

80. *Extra me.*] Praeter: cf. Terent. *Phorm.* i. 2. 48., "Neque notus neque cognatus, extra unam aniculam, Quisquam aderat." Cic. *ad Fam.* vii. 3., "Extra ducem paucosque praeterea . . . reliqui . . . rapaces, . . . crudeles."

81. *Med obesse.*] Scribendum *med* ob hiatum primus Turnebus monuit.

82. *Poëma . . . moratum atque molle.*] Sic Horat. *ad Pisones*, 319., *mora*ta recte fabula. Interpretandum autem opinor *molles mores referens*;

ut sit quasi *Ἐν διὰ ὁὐοῖν*, ut *N. D.* ii. 53., *montes vestiti atque sylvestres*, i. e. sylvis vestiti, sylvarum ueste tecti. *Ovid. ex Ponto* ii. 9. 47., "Ingenuas didicisse fideliter artes, Emollit mores, nec sinit esse feros?

83. *Illud . . . expressum est.*] Nempe in iis quae sequuntur.

84. *Adest, adest fax.*] Verbi *adest* ultimam, monet Davisius, non raro pro brevi poni; post *Chr. Wasium de Senar.* p. 11.

85. *Multos annos latuit.*] Utique multos annos Paris inter pastores latuit, ubi altus atque educatus est.

86. *Jam non Cassandra.*] Non amplius. Ita distinguendum recte censuit Hottinger., conferens *Vellei*. ii. 31., "Quum belli more, non latrociniorum, orbem classibus, *jam non* furtivis expeditionibus, piratae terrorent." laudans simul de elegantia particularum *non jam* usu *Burmann.* ad *Quinctil. Inst.* vi. prooem.

87. *Classis cita Texitur.*] Cf. *Virg. Aen.* xi. 326., "Bis denas Italo texamus robore naves."

88. *Exitiūm examen.*] Exitiorum; v. Cic. *Orat.* 46.: i. e. hostium qui nobis exitio futuri sunt: conf. *Sallust. Catil.* 14., "Catilina . . . omnium flagitorum atque facinorum circum se . . . catervas habebat." *Examen* autem translate adhibuit etiam *Horatius Od.* i. 35. 31., "Juvenum recens *Examen* Eois timendum Partibus."

Advenit, et fera velivolantibus  
Navibu' complevit<sup>89</sup> manu' littora.

XXXII. Tragoedias loqui videor et fabulas. At ex te ipso non commentitiam rem, sed factam, ejusdem generis audivi: C. Coponium ad te venisse Dyrrhachium<sup>90</sup>, quum praetorio imperio classi Rhodiae praeesset, cum primo<sup>91</sup> hominem prudentem atque doctum: cumque dixisse remigem quemdam e quinqueremi Rhodiorum vaticinatum, madefactum iri minus xxx. diebus Graeciam sanguine, rapinas Dyrrhachî, et consensionem in navis cum fuga; fugientibusque miserabilem respectum incendiorum fore; sed Rhodiorum classi propinquum redditum ac domum itionem<sup>92</sup> dari: tum neque te ipsum non esse commotum, Marcumque<sup>93</sup> Varronem et M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines, vehementer esse perterritos: paucis sane post diebus ex Pharsalica<sup>94</sup> fuga venisse Labienum: qui quum interitum exercitus nuntiavisset, reliqua vaticinationis brevi esse confecta. Nam et ex horreis direptum effusumque frumentum vias omnis angiportusque constraverat; et navis subito perterriti metu condescendistis; et noctu ad oppidum resipientes, flagrantis onerarias, quas incenderant milites, quia sequi noluerant, videbatis: postremo a Rhodia classe deserti verum vatem fuisse sensistis. Exposui, quam brevissime potui, somnii et furoris oracula, quae carere dixeram<sup>95</sup> arte. Quorum amborum generum una ratio est, qua Cratippus noster uti solet; animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse tractos et haustos. Ex quo intellegitur, esse extra divinum animum, humanus unde ducatur: humani autem animi eam partem, quae sensum, quae motum, quae appetitum habeat, non esse ab actione corporis sejugatam<sup>96</sup>: quae autem pars animi, rationis at-

89. *Complevit.*] Nimirum vaticinans futura videt quasi jam praesentia atque adeo perfecta. Frustra Moserus ex duobus complebit.

90. *Dyrrhachium.*] Vel invitis libris scribendum putavit Moserus, pro *Dyrrhachio*: idem mihi videtur.

91. *Cum primo hominem prudentem.*] Hominem prudentem ut qui maxime. Codicum fidem sequendam putavit Davisius, quum antea editum esset *cum primis*.

92. *Domum itionem.*] Cf. *Caes.* de *B. G.* i. 5., "Domum renditionis spe sublata."

93. *Neque te . . . , Marcumque—.*]

Formulam illustravi commentar. de usu Copularum c. iii. § 85.: adde infra ii. 43., de *Rep.* i. 34., in *Catil.* ii. 13: *Aurel. Vict. de Caes.* 11. et 15., *Sueton. Tib.* 11. extr. et 51.

94. *Ex Pharsalica fuga.*] Multi libri, etiam Harl. 1., *Pharsalia*.

95. *Quae carere dixeram arte.*] Dedit hunc ordinem Davisius, neque unde, monuit: nostri a vulgato non discedunt, *q. c. a. d.*; sed illum ordinem in Creuzeri codice repertum potiorem duxit etiam Moserus.

96. *Sejugatam.*] Sejunctam. Non alibi voce utitur Cicero.

que intellegentiae sit particeps, eam tum maxume vigere quum plurimum absit a corpore. Itaque, expositis<sup>97</sup> exemplis verarum vaticinationum et somniorum, Cratippus solet rationem concludere hoc modo: "Si sine oculis non potest exstare officium et munus oculorum; possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere: qui vel semel ita est usus oculis ut vera cerneret<sup>98</sup>; is habet sensum oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine divinatione non potest officium et munus divinationis exstare; potest autem quis, quum divinationem habeat, errare aliquando, nec vera cernere<sup>99</sup>: satis est ad confirmandam<sup>1</sup> divinationem, semel aliquid esse ita divinatum ut nihil fortuito cecidisse<sup>2</sup> videatur: sunt autem ejus generis innumerabilia: esse igitur divinationem confitendum est."

XXXIII. Quae vero aut conjectura explicantur, aut eventis animadversa ac notata sunt, ea genera divinandi, ut supra dixi<sup>3</sup>, non naturalia, sed artificiosa dicuntur: in quo<sup>4</sup> haruspices<sup>5</sup>, augures, conjectoresque numerantur. Haec improbantur a Peripateticis; a Stoicis defenduntur. Quorum alia sunt posita in monumentis et disciplina; quod Etruscorum declarant et haruspicii, et fulgurales, et tonitruales<sup>6</sup> libri, vestri<sup>7</sup> etiam augurales: alia autem subito ex tempore<sup>8</sup> conjectura explicantur,

97. *Expositis exemplis.*] Recte Gruter. e codd. pro antea vulgato *ex ipsis exemplis*.

98. *Ut vera cerneret.*] Harl. 1. cernant, frustra.

99. *Nec vera cernere.*] Harl. 2. nec vera dicere; quod placeret, si in pluribus inventum esset.

1. *Ad confirmandam divinationem.*] Notabile est Harl. 1. ostendere *confirmandum* et hic et infra ii. 52. ubi haec iterum leguntur: et hic quidem etiam Moserus illud ex codd. duobus et edd. Asc. 1. 2. adnotavit; qui tamen in altero loco non tam diligenter versatus est. Lege omnino Gell. i. 7. Etiam supra c. 16. habet idem Harl. 1. verum . . . *obnuntiationem*.

2. *Nihil fortuito cecidisse.*] Harl. 2. *occidisse* et hic et infra ii. 52.; quomodo quidam codices etiam supra c. 19. extr.

3. *Ut supra dixi.*] Harl. 2. *diximus.*

4. *In quo—.*] Sc. genere, utique artificioso: conf. Sallust. *Catil.* 56., "Interca servitia repudiabat, cuius

initio ad eum magnae copiae concurrebant."

5. *Haruspices, augures, conjectoresque.*] Accipe pro *haruspicum, augurum, conjectorumque divinationes*: qualem synesin jam larga manu ad *Nat. Deor.* i. 5. illustravi.

6. *Tonitruales.*] Primus Gruterus ex Palatinis eruit: multi libri mendose *tritiales*, unde orta est lectio olim vulgata *rituales*.

7. *Vestri etiam augurales.*] Nempe augurem fratrem alloquitur.

8. *Subito ex tempore.*] Hunc pleonasmum defendit Wopkens. p. 258. merito. Saepe interpretationes hujusmodi adhibet Sallustius: cf. *B.J.* 11., "Ad ea Jugurtha, tametsi . . . longe aliter animo agitabat, tamen *pro tempore benigne* respondit." i. e. ita respondit uti tempus postulabat, nempe benigne: et c. 72., "Ad ea rex aliter atque animo gerebat, placide respondit." ubi nos plura: adde c. 94., "Super terga gladii et scuta: verum ea *Numidica, ex coriis.*" Noster infra c. 36, *in cunis parvulo*.

ut apud Homerum Calchas<sup>9</sup>, qui ex passerum numero belli Trojani annos auguratus est: et ut in Sullae<sup>10</sup> scriptum historia videmus, quod te inspectante factum est, ut, quum ille in agro Nolano immolaret ante praetorium, ab infima ara subitus<sup>11</sup> anguis emerget; quum quidem<sup>12</sup> C. Postumius haruspex oraret illum, ut in expeditionem exercitum educeret: id quum Sulla fecisset, tum ante oppidum Nolam florentissuma<sup>13</sup> Samnitium casta cepit. Facta conjectura etiam in Dionysio est paulo ante quam regnare coepit: qui quum per agrum Leontinum iter faciens equum ipse demisisset<sup>14</sup> in flumen, submersus equus voraginibus non exstitit<sup>15</sup>: quem quum maxuma contentione non potuisset extrahere; discessit, ut ait<sup>16</sup> Philistus, aegre ferens: quum autem aliquantum progressus esset, subito exaudivit hinnitum, respexitque, et equum alacrem laetus adspexit, cuius in juba examen apium<sup>17</sup> consederat. Quod ostentum habuit hanc vim, ut Dionysius paucis post diebus regnare cooperit.

**XXXIV. Quid?** Lacedaemoniis, paulo ante Leuctricam calamitatem, quae significatio facta est, quum in Herculis fano arma sonuerunt, Herculisque simulacrum multo sudore manavit? At eodem tempore Thebis, ut ait Callisthenes, in templo Herculis valvae clausae repagulis subito se ipsae aperuerunt; armaque, quae fixa in parietibus fuerant, ea<sup>18</sup> sunt humi in-

**9. Ut apud Homerum Calchas.]** Vide infra ii. 30. Intelligendum autem fecit, vel etiam *ex tempore explicavit*; in quo nemo, opinor, nisi Ernestius, haerere potuit.

**10. Ut in Sullae scriptum historia videmus.]** Scripsit ipse Sulla de rebus suis commentarios: vide *Vossianum de Historicis* i. 10. At infra Cicero ii. 25., “Multa ante Marsicum bellum a Sisenna collecta attulisti.” Quid igitur? utique Sisenna hanc narrationem, arbitror, ex ipsius Sullanis commentariis sumsit. Et recte Gruterus codicum lectionem reposuit, pro Aldina, *ut in Sisennae—ut cum Sulla—*.

**11. Subitus anguis emerget.]** Sic. Harl. I., pro *subito*: cf. *Tacit. Hist.* iii. 47., Haud temnenda manus dux Trapezuntēm *subitus* irrupit.” Adde Nostrum infra ii. 32.

**12. Quum quidem.]** Recte Gruterus ex eodd. *quidem* pro *quidam*.

**13. Florentissuma S. castra.]** I. e. ab omnibus rebus paratissima.

**14. Demisisset.]** Cf. *Liv.* xxiii. 47.,

“Nisi e campo in cavam hanc viam demittimus equos.”

**15. Non exstitit.]** Non apparuit: cf. c. 28.

**16. Discessit, ut ait Philistus.]** Credit Frenzelius apud Moserum Philisti auctoritatem ad sequentia potius firmando desiderari: *discessit aegre ferens*. *Cum autem aliquantum progressus esset, ut ait Philistus, subito exaudivit*—. Cui ignotus fuit Ciceronis mos; quo saepe duo discretiva membra adeo arcte colligat, ut neutrius quidem per se, sed utriusque conjunctim ratio habenda sit: vide nos ad *Nat. Deor.* i. 9. extr.

**17. Apium.]** Ita scribunt nostri codices, non *apum*.

**18. Ea sunt humi inventa.]** Recte monet Hottinger., pronomen velut augere rei miraculum. Cf. *de Orat.* i. 37., “Quid . . . turpius . . . quam eum, qui . . . *hunc . . . labi?*” iii. 13., “Tanta insolentia ac turba verborum, ut oratio, quae lumen adhibere rebus debet, *ea* obscuritatem et nebras afferat.”

venta. Quumque eodem tempore apud Lebadiam Trophoniores divina fieret, gallos gallinaceos in eo loco sic assidue canere coepisse<sup>19</sup>, ut nihil intermitterent: tum augures dixisse Boeotios, Thebanorum esse victoram, propterea quod avis illa victa silere soleret<sup>20</sup>; canere, si<sup>21</sup> vicisset. Eademque tempestate multis signis Lacedaemoniis Leuctricae pugnae calamitas denuntiabatur. Namque et Lysandri, qui Lacedaemoniorum clarissimus fuerat, statuae<sup>22</sup>, quae Delphis stabat, in capite corona subito exstitit ex asperis herbis et agrestibus; stellaeque aureae, quae Delphis erant a Lacedaemoniis positae post navallem illam victoram Lysandri, qua Athenienses conciderunt<sup>23</sup>, (qua in pugna quia Castor et Pollux cum Lacedaemoniorum classe visi esse dicebantur, eorum insignia deorum, stellae aureae, quas dixi, Delphis posita) paulo ante Leuctricam pugnam deciderunt, neque repertae sunt. Maximum vero illud portentum istud Spartiatis fuit, quod, quum oraculum ab Iove Dodoneo petivissent de victoria sciscitantes, legatique illud<sup>24</sup>, in quo inerant sortes, collocavissent<sup>25</sup>; simia, quam rex Molossorum in deliciis habebat, et sortis ipsas et cetera, quae erant ad sortem parata, disturbavit<sup>26</sup>, et aliud alio dissupavit. Tum ea quae praeposita erat oraculo sacerdos dixisse dicitur, de salute Lacedaemoniis esse, non de victoria, cogitandum.

XXXV. Quid? Bello Punico secundo nonne C. Flaminius,

19. *Gallos gallinaceos . . . canere coepisse.]* Ad obliquam orationem transit, perinde ac si supra scripsisset, *At eodem tempore Thebis ait Caliisthenes in templo Herculis valvas, etc.: vide ad c. 26. supra.*

20. *Silere soleret.]* Davisius solet, perperam; si quidem est hoc augurum responsum.

21. *Victa . . . si vicisset.]* Cf. *de Fin. v. 15.*, “*Si vincunt, efferunt se laetitia; victi debilitantur, animosque demittunt.*” *Sallust. B. J. 97.*, “*Rati noctem . . . et victis sibi munimento fore, et, si vicissent, nullo impedimento, quia locorum scientes erant.*”

22. *Namque et Lysandri . . . statuae.]* Harl. 1. et in L.—statua, quomodo etiam aliquot Moseri: eaque scriptio, inconcinna quamvis sit, quippe eadem praepositione mox redeunte, *in capite*, tamen vera esse potest. De particula autem *et*, cui infra respondet *que*, videas *Doctrin. nostr. Copular.* i. 203.

23. *Athenienses conciderunt.]* Consultul Moserus *ad Att. i. 16.*, “ne patres conscripti . . . conciderent.”

24. *Illud, in quo—.]* Desiderat Ernestius *vas*; Moserus vero in pronomine *illud* vocabulum aliquod istius significationis suspicatur latere. Ego opinor Cic. periphrasi Graecam aliquam vocem declarasse; et nihil addendum, nihil mutandum censeo.

25. *Collocavissent.]* Confert Moserus *in Catil. iii. 9.*, quo (signo Iovis) *collocato*, nempe suo loco. Quod vero addit idem vir doctus, “*illud vas non suo loco collocatum fuisse, cum simia id arripere sortesque disturbare potuerit:*” mihi quidem magis obvium videtur inde colligere, simiam potius illam solute vagantem non ibi fuisse, ubi esse deberet.

26. *Disturbavit, et . . . dissupavit.]* Cf. *N. D. ii. 15.*, “*Ignis . . . quemque invasit, cuncta disturbat ac dissupat?*

consul iterum, neglexit signa rerum futurarum magna cum<sup>27</sup> clade reipublicae? Qui exercitu lustrato, quum Arretium versus castra movisset, et contra Hannibalem legiones duceret; et ipse et equus ejus ante signum Jovis Statoris sine causa repente concidit, nec eam rem habuit religioni; objecto<sup>28</sup> signo, ut peritis videbatur, ne committeret proelium. Idem quum tripudio<sup>29</sup> auspicaretur, pullarius diem proelii committendi differebat<sup>30</sup>. Tum Flaminius ex eo quaesivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret. Quum ille quiescendum respondisset: Flaminius, "Praeclara vero "auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil "geretur." Itaque signa convelli, et se sequi<sup>31</sup> jussit. Quo tempore, quum signifer primi hastati<sup>32</sup> signum non posset movere loco, nec quidquam proficeretur, plures quum accederent<sup>33</sup>; Flaminius, re<sup>34</sup> nuntiata, suo more neglexit: itaque tribus iis<sup>35</sup> horis concitus exercitus, atque ipse imperfectus est. Magnum illud etiam, quod addidit<sup>36</sup> Caelius, eo tempore ipso, quum hoc calamitosum fieret proelium, tantos terrae motus in Liguribus, Gallia, compluribusque insulis, totaque in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes<sup>37</sup> factae sint teraeque desederint, fluminaque in contrarias partis fluxerint, atque in amnis mare influxerit<sup>38</sup>.

27. *Magna cum clade reip.]* Cf. N. D. ii. 3., "cum magno reipublicae vulnere."

28. *Objecto signo.]* Qum tamen objectum esset signum.

29. *Idem quum tripudio auspicaretur.]* Non utique tripudio solistimo.

30. *Differebat.]* Differendum censebat, differri volebat. Ita aliquoties Livius, ut iii. 21., "Paters quoque, ne quid cederent plebi, et ipsi L. Quintium consalem reficiebant.

31. *Se sequi jussit.]* Utique milites: vide nos ad Sallust. B. J. 75., "Jumenta sarcinis levare jubet."

32. *Signifer primi hastati.]* Se ordinis.

33. *Plures quum accederent.]* Lambinus accessissent, frustra; si quidem imperfecti vis haec est, quasi dixisset--quum alii atque alii subinde accessissent.

34. *Re nuntiata.]* Mavult Davisius rem nuntiatam s. m. neglexit, frustra: cf. Sallust. Catil. 9. extr.,

"Beneficiis, quam metu, imperium agitabant, et, accepta injuria, ignorare quam persequi malebant." ubi ed. Gryph. *acceptam injuriam*. Adde B. J. 63., ubi plura Cortius.

35. *Tribus iis horis.]* Vulg. tribus his horis: sed, ut in tempore praeterito, magis probavi, quod habet Harl. 3., *is*. At Davisius plane pronomen delevit.

36. *Quod addidit Caelius.]* Harl. I. addit. Infra proelium omnibus fere libris deest, ubi alio ordine scribit Dav. c. p. f.

37. *Labes factae sint.]* Infra c. 43., "labes agri Privernatis." Adde N. D. ii. 5.

38. *Fluxerint—infuxerit.]* Fastidiunt haec viri quidam docti; sed similia Ciceroni etiam alibi exciderunt: supra c. 34., *conciderunt, deciderunt*; N. D. i. 6., "Si . . . erit inventus aliquis, qui quid verum sit invenerit." Praepositionem in ante amnis delevit Davisius, frustra.

**XXXVI.** Fiunt certe divinationum conjecturae<sup>39</sup> a peritis. Midae illi Phrygio, quum puer esset, dormienti formicæ in os tritici grana congesserunt. Dicitissimum<sup>40</sup> fore, praedictum est: quod evenit. At Platoni quum in cunis parvulo<sup>41</sup> dormienti apes in labellis consedissent, responsum est, singulari illum suavitate orationis fore: ita futura eloquentia provisa<sup>42</sup> in infante est. Quid amores ac deliciae tuae, Roscius? num aut ipse, aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? qui quum esset in cunabulis educareturque in Solonio, qui est campus agri Lanuvini, noctu lumine adposito<sup>43</sup>, experrecta nutrix animadvertisit puerum dormientem circumPLICATUM serpentis amplexu: quo adspectu exterrita, clamorem sustulit. Pater autem Rosci ad haruspices retulit: qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. Atque hanc speciem Pasiteles<sup>44</sup> caelavit argento, et noster expressit Archias versibus. Quid igitur exspectamus? an dum in foro nobiscum dii immortales, dum in viis versentur<sup>45</sup>, dum domi? qui quidem ipsi se nobis non offerunt, vim autem suam longe lateque diffundunt; quam quum terrae cavernis includunt, tum hominum naturis impllicant. Nam terrae vis<sup>46</sup> Pythiam Delphis incitabat; naturae Sibyllam. Quid enim? Non videmus, quam sint varia terrarum genera? ex quibus et mortifera quaedam pars est, ut et Ampsancti in Hirpinis, et in Asia Plutonia, quae videmus<sup>47</sup>: et sunt partes agrorum aliae pestilentes, aliae salubres: aliae, quae acuta ingenia gignant, aliae, quae retusa: quae omnia

**39. Divinationum conjecturae.]** I.e. divinationes per conjecturam, ut recte interpretatur Hottinger.

**40. Dicitissimum.]** Harl. I. ditissimum: sed altera forma apud Nostrum exstat etiam de Off. ii. 17.

**41. In cunis parvulo.]** Frustra Herelio apud Moserum suspecta est vox parvulo: vide ad c. 33. supra, subito ex tempore. Distinctionem autem recte mutavit Davisius, ut jungendum sit Platoni . . . consedissent, non Pl. resp. est.

**42. Provisa in infante est.]** I. e. praevisa, ante visa: sic Somn. Scip. 8., “Deus est, . . . qui meminit, qui providet.” Infra ii. 6., “Qui potest provideri, quidquam futurum esse, quod—?” Harl. I. in infante prov. est. Pro futura mallet quis matura vel maturi: sed nil mutantum. Ceterum in infante interpretaberis, arbitror, ad proprietatem vocis, in eo qui nondum ne fari quidem

posset.

**43. Lumine adposito.]** Harl. I. lumine proprio.

**44. Pasiteles.]** Vulg. Praxiteles: emendavit Winckelmann. apud Creuzerum. De Pasitele vide Plin. H. N. xxxvi. 5. 12.

**45. Dum in viis versentur?]** Harl. 2. versantur: et ita ad Att. x. 3., “Opperior, dum ista cognosco.”

**46. Terrae vis.]** Cf. c. 19. extr.

**47. Quae videmus.]** Correxit Pearceius vidimus; vidisse enim Quintum, quum Asiae proconsul esset: frustra. Nam ut Ciceroni contigerat semel Plutonia vidisse, ita homini Italico in promtu erat iterum atque iterum Ampsanctum videre. Igitur, quoniam neutrum nec vidimus nec videmus, utrobique aptum esse potest, codicum potius lectionem sequendam puto. Adde quod, vidimus si scripsisset Cicero, pronomen nos vix omittere poterat.

fiunt et ex coeli varietate, et ex disparili<sup>48</sup> adspiratione terrarum. Fit etiam saepe specie quadam, saepe vocum gravitate et<sup>49</sup> cantibus, ut pellantur animi vehementius: saepe etiam cura et timore: qualis est illa<sup>50</sup>

Flexanima tamquam lymphata aut Bacchi sacris  
Commota, in tumulis Teucrum commemorans suum.

**XXXVII.** Atque etiam illa concitatio declarat vim in animis esse divinam: negat enim sine furore<sup>51</sup> Democritus quemquam poëtam magnum esse posse; quod idem dicit Plato: quem<sup>52</sup>, si placet, adpellet furorem, dummodo is furor ita laudetur, ut in Phaedro<sup>53</sup> Platonis laudatus est. Quid vestra oratio in causis? quid ipsa actio? potest esse vehemens, et gravis, et copiosa, nisi est animus ipse commotior? Evidem etiam in te saepe vidi, et (ut ad leviora veniamus) in Aesopo<sup>54</sup> familiari tuo tantum ardorem vultuum atque motuum, ut eum vis quaedam abstraxisse a sensu mentis videretur. Objiciuntur etiam saepe formae, quae reapse<sup>55</sup> nullae sunt; speciem autem offerunt: quod contigisse Brenno<sup>56</sup> dicitur, ejusque Gallicis copiis, quum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intulisset: tum enim ferunt ex oraculo ecfatam esse Pythiam,

Ego providebo rem istam, et albae virgines<sup>57</sup>.

Ex quo factum, ut et viderentur virgines ferre arma contra, et nive Gallorum obrueretur<sup>58</sup> exercitus.

48. *Disparili.*] Cf. *Varr. de R. R.* ii. 11, "Propter loca et pabulum *disparile*, non usquequaque idem fit."

49. *Vocum gravitate et cantibus.*] "Ἐν διὰ δύοιν esse censem Hottinger., pro *vocum gravitate in canu.*"

50. *Qualis est illa.*] Tecmessa. Versus autem sunt Pacuvii: vide *Varr. de L. L.* vi. p. 79.

51. *Sine furore.*] Cf. *Tusc.* i. 26., *pro Archia* 8.

52. *Quem . . . adpellet furorem.*] Pronomen ita accipe quasi *Quam concitatem* dixisset: vide nostra ad *Sallust. Catil.* 55., "Est locus in carcere, quod Tullianum adpellatur."

53. *In Phaedro Platonis.*] Pag. 343 G.

54. *Aesopo.*] Fuit nobilis histrio tragicus; cuius iterum meminit Cicero *Tusc.* iv. 25. Plura de eodem apud *Forcellinum legas.*

55. *Reapse.*] De hoc vocabulo sic *Senec. Ep.* 108. p. m., "Eosdem libros (*de Republ.*) quum grammaticus explicuit, primum *reapse* dici ab Cicerone, id est *re ipsa*, in commentarium refert; nec minus *sepse*, id est *se ipse*." Utitur voce Noster etiam *de Fin.* v. 10., *ad Fam.* ix. 15.; et reponendam suspicor (semper autem in libris corrupta est) *de Nat. Deor.* i. 2.

56. *Brenno.*] *Lege Justin.* xxiv. 6—8.

57. *Ego . . . et albae virgines.*] Tzetzes, quem primus Ursinus consultit: Χρησμὸς ἐκπίπτει μαντικὸς ἐν Ιαμβεῖψ μέτρῳ, Ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις. Qui illas virgines intelligit Minervam et Dianam.

58. *Obrueretur.*] Harl. 2. *obrueretur.* Supra et post ut frustra deletavit Davisius.

**XXXVIII.** Aristoteles quidem eos etiam, qui valetudinis vitiō furerent et melancholici dicerentur, censebat<sup>59</sup> habere aliquid in animis praesagiens atque divinum. Ego autem haud scio an nec cardiacis hoc tribuendum sit nec phreneticis: animi enim integri, non vitiosi corporis est divinatio. Quam quidem esse revera, hac Stoicorum ratione concluditur. “Si sunt dii, neque ante declarant hominibus quae futura sunt; aut non diligunt homines: aut, quid eventurum sit, ignorant: aut existunt nihil interesse hominum, scire quid sit futurum: aut non censem esse suae majestatis praesignificare hominibus quae sunt futura: aut ea ne ipsi quidem dii significare possunt. At neque non diligunt nos; sunt enim benefici generique hominum amici<sup>60</sup>: neque ignorant ea, quae ab ipsis constituta, et designata sunt: neque nostra nihil interest, scire ea quae eventura sint; erimus enim cautores, si sciemus: neque hoc alienum ducent majestate sua; nihil est enim beneficentia praestantius: neque non possunt futura praenoscere. Non<sup>61</sup> igitur sunt dii, nec significant futura. Sunt autem dii: significant ergo. Et non, si significant, nullas vias dant nobis ad significationis scientiam; frustra enim significant: nec, si dant vias<sup>62</sup>; non est divinatio: est igitur divinatio.”

**XXXIX.** Hac ratione et Chrysippus, et Diogenes, et Antipater utitur. Quid est igitur cur dubitandum sit quin sint ea, quae disputavi, verissima<sup>63</sup>; si ratio mecum facit, si eventa, si populi, si nationes, si Graeci, si barbari, si maiores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est, si summi philosophi, si poëtae, si sapientissimi viri, qui respublicas constituerunt, qui urbis condiderunt? An, dum bestiae loquantur, expectamus? hominum consentiente auctoritate contenti non sumus? Nec vero quidquam aliud adfertur cur ea, quae dico, divinandi genera nulla sint, nisi quod difficile dictu videtur, quae cujusque divinationis ratio, quae causa sit. Quid enim habet<sup>64</sup> haruspex, cur pulmo incisus etiam in bonis extis diri-

59. *Aristoteles . . . censebat—.]*  
Locus est, id quod monuit Davisius,  
*Problem. xxx. p. 471.*

60. *Generique hominum amici.]*  
Harl. 1. atque hominum gratia amici.  
Mox neque ignorant ea: secundus  
delet ea.

61. *Non igitur sunt dii, nec—.*  
Particula non hic, ut saepe, neutram  
quidem rem negat, sed negat con-  
junctionem rerum: q. d., Non igitur  
ita est, ut et sint dii nec tamen signifi-  
cant futura. Negationum hujusmodi

exempla vide lib. *de Fato. cap. 8.*

62. *Nec, si dant vias.]* Harl. 2.  
viam.

63. *Verissima, si——condide-  
runt? An, dum—?] Distinctionem  
mutavit Hottinger.: verissima?  
Si——condiderunt; an, dum—?  
non placet.*

64. *Quid enim habet haruspex.]*  
I. e., Quid afferre potest? Harl. 2.  
autem delet *habet*, ut *affert* intelli-  
gendum sit.

mat<sup>65</sup> tempus et proferat diem? quid augur, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum? quid astrologus, cur stella Jovis aut Veneris conjuncta cum Luna ad ortus puerorum salutaris sit; Saturni Martisve contraria? cur autem deus dormientis nos moneat, vigilantis neglegat? quid deinde causae sit<sup>66</sup> cur Cassandra furens futura prospiciat, Priamus sapiens hoc idem facere non queat? Cur fiat quidque, quaeris. Recte omnino; sed non nunc id agitur: fiat necne fiat<sup>67</sup>, id quaeritur. Ut<sup>68</sup>, si magnetem lapidem esse dicam, qui ferrum ad se adliciat et trahat<sup>69</sup>; rationem, cur id fiat, adferre nequeam; fieri omnino neges. Quod idem facis in divinatione, quam et cernimus ipsi, et audimus, et legimus, et a patribus accepimus, neque ante philosophiam patefactam, quae nuper inventa est, hac de re communis vita<sup>70</sup> dubitavit: et, postea quam philosophia processit, nemo aliter philosophus sensit, in quo modo esset auctoritas. Dixi de Pythagora, de Democrito, de Socrate: excepti de antiquis, praeter Xenophanem, neminem: adjunxi veterem Academiam, Peripateticos, Stoicos: unus dissentit Epicurus. Quid vero hoc turpius, quam<sup>71</sup> quod idem nullam censem<sup>72</sup> gratuitam esse virtutem?

**XL.** Quis est autem, quem non moveat clarissumis monumentis testata consignataque antiquitas? Calchanted augur rem scribit Homerus longe optimum, eumque ducem classium

65. *Dirimat tempus.*] Contulit Dav. *de Leg.* ii. 12., "Quid gravius, quam rem susceptam *dirimi*, si unus augur 'alio' (sc. die) dixerit?"

66. *Quid deinde causae sit?*] Quid esse potest? Davisius cum Victorio *causae est*: nostri omnes sit.

67. *Fiat necne fiat.*] Geminatum verbum delet Harl. 2., frustra: cf. *N. D.* iii. 7., "Dii utrum *sint* necne *sint*, quaeritur."

68. *Ut, si—.*] Id quum facis, perinde facis ut si—. Conjecit Hotting. *Tu, si —, neges?* eleganter, frustra tamen.

69. *Adliciat et trahat.*] Davisius e cod. Pithoeano, quod jam conjecterat Lambinus, et attrahat; frustra: vide nos ad *N. D.* i. 5., *desertorum relictarumque*. Tamen nihil necesse est, quod habent plures libri, at *rationem*, recipere: neque istud *at agnoscant* Harl. 1. et 2.

70. *Communis vita dubitarit.*] Homines vulgo dubitarunt. Infra ii. 41., "Sed hoc quidem genus divinationis vita jam *communis* expedit."

71. *Quid vero hoc turpius quam quod—.*] Sane abundat aut *hoc* aut *quam*; sed cf. illud, *Acad.* i. 12., "Neque *hoc* quidquam esse turpius, *quam* cognitioni et perceptioni assensionem approbationemque praecurrere." item illud *de Orat.* i. 37., "Quid ergo *hoc* fieri turpius aut dici potest, *quam* eum, qui . . . , hunc . . . labi?" adde *Platonem* apud nos ad *N. D.* i. 15. Itaque Davisianam distinctionem, quam recepit Hottinger., non probo, *Quid vero? hoc turpius quam quod—?*

72. *Censem.*] Ita recte Harl. omnes, et omnes, arbitror, ubique codices: tamen jam inde a Grutero editiones fere omnes mendum *sensit* occupavit; quod tandem sustulit Moserus.

fuisse ad Ilium<sup>73</sup>; auspiciorum credo<sup>74</sup> scientia, non locorum. Amphilochus et Mopsus, Argivorum reges fuerunt, sed idem augures: lique urbis in ora maritima Ciliciae Graecas condiderunt. Atque etiam ante hos Amphiaraus et Tiresias, non humiles et obscuri, neque eorum similes, ut apud Ennium est,

Qui sui quaestus causa fictas suscitant<sup>75</sup> sententias;

sed clari et praestantes viri, qui avibus et signis admoniti futura dicebant<sup>76</sup>. Quorum de altero etiam apud inferos Homerus<sup>77</sup> ait, *solum sapere, ceteros umbrarum vagari modo*<sup>78</sup>: Amphiaraum autem sic honoravit fama Graeciae, deus ut haberetur, atque ut ab ejus<sup>79</sup> solo, in quo est humatus, oracula peterentur. Quid? Asiae rex Priamus nonne et Helenum filium et Cassandram filiam divinantis habebat, alterum auguriis, alteram mentis incitatione et permotione divina? Quo in genere Marcios<sup>80</sup> quosdam fratris nobili loco natos apud maiores nostros fuisse scriptum videmus. Quid? Polyidum<sup>81</sup> Corinthium nonne Homerus et aliis multa, et filio ad Trojam proficiscenti mortem praedixisse commemorat? Omnino apud veteres, qui rerum potiebantur, idem auguria tenebant. Ut enim sapere, sic divinare regale ducebatur<sup>82</sup>. Testis est nostra civitas, in qua et reges augures, et postea privati eodem sacerdotio praediti, rempublicam religionum auctoritate rexerunt.

XLI. Eaque divinationum ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta est: si quidem et in Gallia Druidae<sup>83</sup> sunt, e

73. *Ducem classium fuisse ad Ilium.*] Est egregia Gulielmii emendatio, quum libri omnes legerent, *ducem classium fuisse*; AT ILLUM *ausp. credo sc.* Conf. Poëtae verba: νήσος ἵγησατ· Αχαιῶν ΙΛΙΟΝ ΕΙΣΩ Ήν ἐιὰ μαντοσύνην. Sed etiam firmat conjecturam ex parte cod. Leidens. 4., qui habet AD illum. Pro *classium* codd. multi *classis*, perperam, si quidem tot fere classes erant quot dices.

74. *Auspiciorum credo scientia.*] At istud ipsum declarat Homerus.

75. *Fictas suscitant sententias.*] Contulit Moserus spuriae orat. Antequam iret § 15., “Novam rationem suscitant.”

76. *Futura dicebant.*] Sic iterum ii. 33.

77. *Homerus ait.*] Odyss. K. 494.

78. *Umbrarum v. modo.*] H. e. more.

79. *Ab ejus solo, in quo est h.]* Harl. 2. a solo in quo est h. Negligens sane oratio est; tamen a Cicero profectam credo. Nempe satis erat ab ejus solo dixisse: sed quum durior videretur iste genitivus, ulro ipse eum interpretatus est, addiditque “quasi ex abundanti,” ut recte Orellius, in quo est humatus. De genitivi autem usu, vide nos ad N. D.

80. *Marcios.*] Horum meminit Servius ad Aen. vi. 70, 72., Symmachus Epist. iv. 34, alii, apud Davisium.

81. *Polyidum.*] Pro Polybum repositum P. Manutius, ex Iliad. N. 663.

82. *Ducebatur. Testis est nostra civitas.*] Vulgati ducebant; ut testis est: at delendum ut rectissime censuit Hottinger., conferens de Off. ii. 7., “Nec vero ulla vis imperii tanta est, quae, premente metu, possit esse

quibus ipse Divitiacum Aeduum hospitem tuum laudatoremque cognovi; qui et naturae rationem, quam physiogiam Graeci adpellant, notam esse sibi profitebatur, et partim auguriis, partim conjectura, quae essent futura dicebat. Et in Persis augurantur et divinant Magi, qui congregantur in fano commentandi causa atque inter se colloquendi: quod etiam idem<sup>84</sup> vos quondam facere Nonis solebatis. Nec quisquam rex Persarum potest esse, qui non ante magorum disciplinam scientiamque percepérat. Licet autem videre et genera quae-dam et nationes huic scientiae deditas. Telmessus in Caria est, qua in urbe excellit haruspicum disciplina: itemque Elis in Peloponneso familias duas certas<sup>85</sup> habet, Iamidalarum unam, alteram Clytidarum, haruspicinae nobilitate praestantis. In Syria Chaldaei cognitione astrorum sollertiaque ingeniorum antecellunt. Etruria autem de coelo tacta scientissime animad-vertit: eademque interpretatur, quid quibusque ostendatur monstros atque portentis. Quocirca bene apud maiores nostros senatus tum, quum florebat imperium, decrevit, ut de prin-cipum filiis sex<sup>86</sup> singulis Etruriae populis in disciplinam tra-

diurna. *Testis est Phalaris; cu-jus—.* Item c. 12. ejusdem libri. Itaque pro *ducebant ut* scribendum duxi *ducebatur*.

83. *Druidae.*] Vide *Caes. de B. G.* vi. 13. 14.

84. *Quod etiam idem vos—.*] For-tasse *quod idem etiam vos.*

85. *Familias duas certas.*] Hottin-gerus: "easdem semper, et in qui-bus isthoc munus perpetuo maneat." Reete.

86. *Ut de principum filiis sex sin-gulis Etruriae populis in disciplinam traderentur.*] Difficilis, ac variis quae-sitionibus impeditus locus. Nam nec de numero istorum discipulorum con-stat, *decem enim, non sex*, scribit *Valer. Maximus* l. i. c. l., ut singu-lis populis traderentur decretum; et, *Romanorum an Tuscorum principum filii fuerint, magna quaestio est.* Ego vero, multis argumentis ab aliis non-dum occupatis adductus, in eam sent-tiam venio, necessario h. l. Romanorum principum filios intelligen-dos esse. Primum enim, in gente Etruscorum plane haruspicinae ad-dicta, nihil attinebat, senatum Roma-num ultiro atque gratuito arti hono-ratissimae decreto suo subvenire.

Eo autem istud decretum arbitror spectasse, ut possent ipsi Romani etiam domesticos haruspices neque vero aliunde arcessitos habere. Quum vero tanto in honore eam artem apud Etruscos esse intelligerent; neque enim eam artem quae "scientissime" coleretur, infimis atque egenis hominibus arbitror de-mandatam fuisse; decrevit senatus, ita uti par erat, ut etiam principum filii nobilissimam artem edocendi deligerentur. Quamquam altera causa infra est, et rectius dicas *βραχυλογιαν* inesse, quum sic dicendum fuisse:— Decrevit ut sex adolescentes singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur, et quidem de principum filiis, ne ars tanta, etc. At quid ex isto decreto evenit? nam non alii quam Etrusci Romae haruspincinam exercuerunt. Id quidem in silentio anctorum possumus nos nonnisi suspiciari. Sed fieri potuit ut isti ob-lati discipuli ab Etruscis non recipie-rentur; potuerunt Etrusci haruspices nolle artem suam artisque lucrum ad alios transire; potuerunt negare etiam fas esse arcana sua cum exter-nis communicari; et facilius esse potuit senatui Romano cum exercitibus

Etruscorum quam cum haruspicibus configgere. Potuit ergo irritum esse senatus decretum vel illis de causis quae ab Etruscis oriri potuerunt, vel etiam ob alias causas quas apud ipsos Romanos non difficile est fingere: nam potuerunt obstare matres; potuerunt ipsi adolescentes delecti, nobiles, feroce, bellicosi, non patienter ferre, se tamquam mancipia Etruscis tradi. Potuit autem, quum in Annalibus exstaret senatus decretum, tamen ejus eventus, in re praesertim infecta, in oblivionem abisse. Ac certe non ex eo pendet interpretatio loci, utrum re vera umquam domestici haruspices Romae exstiterint, neene; si quidem nihil amplius facit Quintus, quam ut vetus senatus decretum referat, idque laudatione sua prosequatur. Deinde in singulis verbis, *Quocirca bene apud majores nostros senatus, tum quum florebat imperium, decrevit*, etc., totidem fere mihi videor argumenta reperire, cur Romanorum, neque vero Etruscorum, filii intelligendi sint. 1.) *Quocirca*. Quum varias nationes divinandi scientiae deditas memoraret Quintus, tandem etiam Etruriae mentione facta, lubuit obiter referre, quid etiani Romae aliquando senatus de Etruscorum arte excipienda decreverit; deinde pergit etiam alias nationes addere: at, haec de Etruscis si interpretaris, absurdum fit *Quocirca*, si quidem jam ultro ac sua sponte gens Etruscorum in haruspicina princeps erat. 2.) *Bene*. Est Quintus "laudator temporis acti." Multa quippe bene ac religiose apud veteres Romanos siebant, quae Ciceronis temporibus negligebantur. 3.) *Apud majores nostros*. Quod "apud" majores istos siebat, id ad ipsum Romanum populum praeципue pertinebat: nec nisi absurde dicere potuit Cicero, id senatus decretum, quo tantummodo extera natio afficeretur, "apud majores" factum. 4.) *Tum quum florebat imperium*. Profecto hoc nisi de Romano imperio intelligi non potest. Potest autem in his verbis causa inesse, cur potuerit respublica tot adolescentium nobilium opera carere. Sed potius, opinor, ad rem

augendam faciunt (quomodo etiam Valerius intelligebat); quasi dixisset: decrevit, ut de principum filiis, et tum decrevit, quum, florente imperio, jam principes opulentissimi facti erant. 5.) *De principum filiis*. Si jam Etruscorum principum filii intelligendi sunt, mox otiosum est *Etruriae*. 6.) *Sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur*. Quaerat quis, cur *populis*, potius quam haruspicibus qui maxime per singulos populos scientia artis praestabant? At recte *populis*: nempe erant, opinor, isti adolescentes quodammodo publicae committendi fidei. Quod vero qui de Etruscorum filiis intelligendum existimant, scribere volunt *ex pro sex* (nimirum alias ratione numerum expedientes), non utique potuit, ut mihi videtur, satis commode verbum *traderentur* suo dativo carere. Haec igitur argumenta ex verbis duci possunt. Sed non ab re erit hic etiam Valerii consentientem interpretationem ante oculos lectoris ponere:—"Tantum autem studium antiquis, non solum observandae sed etiam amplificandae religionis fuit, ut e florentissima tum et opulentissima civitate decem principum filii singulis Etruriae populis percipiendae sacrorum disciplinae gratia traderentur." Ita nempe locum attulit Davisius: qui quidem etiam numerum apud Ciceronem ex Valerio corrigendum censuit; "probabile enim pro *principum filiis X*, librarios repetita litera, aliaque perperam intrusa, *sex* inculcasse." At illud animum advertere neglexit Davisius, quod in Valerii codicibus ante vocem *singulis* legitur tale quiddam quale *S. C.*; quod tamen non ego assentior iis qui ex notatione marginali irrepisse credunt; sed utique, id quod aequius aliquanto, exscriptorem Valerium potius cum due suo Cicerone in concordiam cogendum censeo, scribendumque apud eum quoque *de principum filiis sex*. Nam quod editum quidem est, *decem principum filiis*, pro *ex vel de principum filiis decem*, id nego ego ne Latinum quidem esse. Jam vero ex *Livii* loco, quem item attulit Davisius ix. 36,

derentur, ne<sup>87</sup> ars tanta propter tenuitatem<sup>88</sup> hominum a religionis auctoritate<sup>89</sup> abduceretur ad mercedem atque quaestum. Phryges autem, et Pisidae, et Cilices, et Arabum natio, avium significationibus plurimum obtemperant: quod idem factatum in Umbria accepimus.

**XLII.** Ac mihi quidem videntur e locis quoque ipsis, qui a quibusque incolebantur, divinationum opportunitates esse ductae. Ut<sup>90</sup> enim Aegyptii, ut Babylonii in camporum patentium aequoribus habitantes, quum ex terra nihil emineret quod contemplationi coeli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt. Etrusci autem, quod religione imbuti, studiosius et<sup>91</sup> crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxime dediderunt: quodque propter aëris crassitudinem de coelo apud eos multa fiebant<sup>92</sup>, et quod ob eamdem causam multa inusitata<sup>93</sup> partim e coelo, alia ex terra oriebantur, quaedam

“ Habeo auctores, vulgo tum Romanos pueros, sicut nunc Graecis, ita Etruscis literis erudiri solitos;” etsi nulla ibi de haruspicina mentio est, certe tamen aliquanto probabilius fit, potuisse senatum etiam de haruspicum Etruscorum scientia per discipulos Romanos excipienda cogitare. Sed non ego arbitror aequae faciles Etruscos fuisse ad artem suam atque ad literas communicandas. Ac sententiam meam rationesque sententiae exposui. Alteram partem tuentur in primis Frandsen, eruditus Danus, et Raven, doctus Advocatus Harburgi, uterque studiose de ea quaestione libello edito, Haruspices Romae utrum natione Etrusci an Romani fuerint: ex qua satis docui ego, opinor, non necessario interpretationem nostri loci pendere. Sed in eamdem sententiam discedunt etiam Goerenzius, Ruhnkenius, Moserius, Orellius. Ceterum, quod pro sex requirit Rathius potius distributivam formam *seni*, monet Orellius notam numeralem VI. utrovis modo egi potuisse.

**87. Nears tanta—.**] Refer ad *principum*; v. prox. superior. animadversionem.

**88. Propter tenuitatem hominum.**] I. e. angustias rei familiaris: cf. *ad Fam.* xvi. 21., “et, ut possum, ex meis angustiis illius sustento *tenuitatem*.

**89. A religionis auctoritate.]** I. e. ne ad tantam artem colendam non religionis auctoritas sed merces atque questus homines duceret.

**90. Ut enim Aegyptii, ut—.**] Pergit infra Cicero *Etrusci autem*, superiorem particulam non respiciens: idque anacoluthon cum Kaysero tolerandum puto; nam Davisius ex duobus *et enim Ae., et B.* Infra Harl. I. in siderum posuerunt cognitione.

**91. Studiosius et crebrius.]** Deleta copula, jungit Moserus *religione imbuti studiosius*, ex sententia Herelii, et praeeunte Schuetzio: sed ipsum adverbium participio parum convenit.

**92. De coelo apud eos multa fiebant.]** Multa phaenomena ostendebantur. Profiebant conjectit Jortinus (*in Misc. Obs.*) *feriebantur*, adhibens superiora illa, “Etruria autem *de coelo tacta* scientissime animadvertisit.” Et monet Hotting., si haec de phaenomenis omnis generis accipienda sint, idem infra iterum dictum esse, “et quod ob eamdem causam multa inusitata partim e coelo . . . oriebantur.” At vero, num etiam *feriri* de coelo aliiquid dicatur, nondum mihi compertum. Supra Harl. I. *per aëris crass.*

**93. Inusitata.]** Cod. Vossianus a prima manu *invisitata*, quod Davisio placet, mihi non item.

etiam ex hominum pecudumve conceptu et satu<sup>94</sup>, portentorum exercitatissimi interpretes exstiterunt. Quorum quidem vim, ut tu soles<sup>95</sup> dicere, verba ipsa prudenter a majoribus posita<sup>96</sup> declarant: quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, praedicunt; ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur. Arabes autem, et Phryges, et Cilices, quod pastu pecudum maxime utuntur, campos et montis hieme et aestate peragrantes, propterea facilius cantus avium et volatus notaverunt: eademque et Pisidiae causa fuit et huic nostrae Umbriae. Tum Caria tota, praecipueque Telmesses quos ante dixi, quod agros uberrimos maximeque fertilis incolunt, in quibus multa propter fecunditatem fingi gignique possunt, in ostentis animadvertisis diligentes fuerunt.

**XLIII.** Quis vero non videt in optuma quaque republica plurimum auspicia et reliqua divinandi genera valuisse? Quis rex umquam fuit, quis populus, qui non uteretur praedictione divina<sup>97</sup>? neque solum in pace, sed in bello multo etiam magis; quo majus erat certamen et discrimin salutis. Omitto nostros, qui nihil in bello sine extis<sup>98</sup> agunt, nihil sine auspiciis, dum<sup>99</sup> habent auspicia. Externa videamus. Namque et Athenienses omnibus semper publicis consiliis divinos quosdam sacerdotes, quos μάντεις vocant, adhibuerunt: et Lacedaemonii regibus suis augurem adsessorem dederunt: itemque senibus (sic enim

94. *Conceptu et satu.*] Voces et satu multi libri, etiam Harl. 3., omitunt; qui tamen non mihi persuadent eas insitias esse. Nam neque vox satu trita librariis fuit, et facile, ut in homoeoteleuto, lacuna potuit fieri. Bene autem monuit Orell., praeposterum istum ordinem in verbis gignendi educandique frequentem esse; ut de N. D. ii. 48., *exclusi fotique*.

95. *Ut tu soles dicere.*] Respicit N. D. ii. 3.

96. *Verba . . . posita.*] I. e. nomina.

97. *Praedictione divina.*] H. e. divinantium seu divinorum.

98. *Nihil . . . sine extis.*] Vide ad c. 2. supra.

99. *Nihil sine auspiciis, dum habent auspicia.*] Ita Vossianus, quinque Davisii, Harl. 1. et 3. (in 2. lacuna est), duo Leidenses. Interpretor autem, dum *jus auspiciorum* habent. Nam, quod unus Davisii co-

dex, ut in geminata voce, illa *dum habent auspicia* omittit, levis sane ista res est. His autem verbis recisis, reliquum erit id, quod plane falsum est, nihil Romanos in bello sine auspiciis gessisse: nam infra ii. 36., “Quam multi anni sunt, quum bella a proconsulibus et propraetoribus administrantur, qui *auspicia non habent?*” i. e. jus auspiciorum. Nimirum jam in morem venerat, ut consules magistratus annum in Urbe exigenter, proconsules in provincias mitterentur. N. D. ii. 3., “Tum enim bella gerere nostri duces incipiunt, quum *auspicia posuerunt.*” i. e. auspiciorum jus. Quod vero in aliis codicibus legitur, id quod etiam editum est, *nihil sine auspiciis domi habent.* *Auspicia externa videamus;* nempe, quum, *auspicia habere* quid esset, non intelligeret librarius, superioris loci sensum sequutus est, c. 2., “Nihil publice sine auspiciis nec domi nec militiae gerebatur.”

consilium publicum adpellant) augurem interesse voluerunt: idemque de rebus majoribus semper aut Delphis oraculum aut ab Hammone aut a Dodona petebant. Lycurgus quidem, qui Lacedaemoniorum rempublicam temperavit, leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit: quas quum vellet Lysander<sup>1</sup> commutare, eadem est prohibitus religione. Atque etiam qui praeerant Lacedaemoniis, non contenti vigilantibus curis, in Pasiphaeae<sup>2</sup> fano, quod est in agro propter urbem, somniandi causa excubabant<sup>3</sup>, quia vera quietis<sup>4</sup> oracula ducebant. Ad nostra jam redeo. Quoties senatus decemviros ad libros ire jussit<sup>5</sup>? Nam et quum duo visi soles essent, et quum tres lunae, et quum faces, et quum sol nocte visus esset, et quum e coelo fremitus auditus, et quum coelum discessisse<sup>6</sup> visum esset, atque in eo animadversi globi: delata<sup>7</sup> etiam ad senatum

1. *Lysander.*] Vide *Nep.* in vita, c. 3.

2. *In Pasiphaeae fano.*] Vide *Plutarch.* in *Agide* et *Cleombr.* p. 797., et *Tertull.* de *Anima* c. 46., apud Lambinum.

3. *Excubabant.*] Reponebat P. Marnut. e conj. *incubabant*, quod etiam in codicibus nonnullis repertum est: sed alterum recte, opinor, interpretatur Gruterus de sententia Gulielmii, a domo sua foris in aede dormiebant.

4. *Quietis oracula.*] Oracula quae per somnia acciperentur: supra c. 29. extr., *visa quietis*.

5. *Quoties . . . jussit?*] Haec iterata leguntur infra initio insequentis capit is; ubi quidem delenda censuit Davisius; quae autem illuc sequuntur, *Quantis in rebus . . . paruit?* ea idem hoc transtulit: cui recentiores omnes obtemperarunt: frustra hi, frustra ille. Nempe hoc quidem priore loco eam quaestionem ponit, *Quoties senatus decemviros ad libros ire jussit?* et illud animadvertisendum est, exempla, quae hic memorentur, ea rerum esse leviorum. At insequenti capite eamdem quaestionem iterum ponit, eo utique consilio, ut, his levioribus rebus quasi per correctionem sublati, majores afferat:— *Quoties senatus decemviros ad libros ire jussit?* *Quantis in rebus quamque saepe responsis haruspicum pa-*

ruit?

*Conf. N. D.* ii. 4., “*Magna augurum auctoritas.* Quid? haruspicum ars nonne divina?” et c. 45., “*Nec vero haec solum admirabilia;* sed nihil majus, quam quod—.” et c. 50., “*Atque illa mirabilia.* Quid ea, quae nuper . . . reperta sunt?”— Utroque loco nostri codices *Quotiens.* Libros autem intellige Sibyllae.

6. *Quum coelum discessisse visum esset.] Cf. de Off. iii. 9., “Quum terra discessisset magnis quibusdam imbribus.” Iterum infra c. 44., *discessisse coelum.* Scripsi autem necessario *esset pro vulg. est*, quod corrigendum monuit etiam Rathius.*

7. *Nam et quum . . . et quum — animadversi globi: delata etiam —.]* Intellige sic: Nam et quum duo visi soles essent,— et quum . . . animadversi globi, *delatum est ad senatum:* delata etiam ad senatum labes agri Privernatis. Nempe est quoddam *zeugma a posteriori*: at nihil plane necesse est, geminata voce scribere aut cum Hottingero *delata: delata etiam*, aut, quod vult Goerenzius, *delatum: delata etiam*, etsi hic etiam in cod. quodam reperit *delatum etiam.* Geminus est *Sallustii* locus, *Catil.* 30., “Adhoc si quis indicavisset de conjuratione, . . . praemium, servo libertatem et sestertia centum, libero impunitatem ejus rei et sestertia ducenta: item decrevere, uti —.” a qua lectione nunc me poenitet

labes agri Privernatis, quum ad infinitam altitudinem terra desisset, Apuliaque maxumis terrae motibus conquassata esset: quibus portentis magna populo Romano bella perniciosa eque seditiones denuntiabantur. Inque his omnibus responsa haruspicum cum Sibyllae versibus congruebant. Quid? quum Cumis Apollo sudavit, Capuae Victoria? quid? ortus androgyni nomie fatale quoddam monstrum fuit? quid, quod fluvius Atratus<sup>8</sup> sanguine fluxit? quid, quum saepe lapidum, san-

recessisse. Sed conferre licet etiam Tullii illa: *Phil.* v. 19., "Qui Caesaris, pontificis, *auctoritatemque* hujus ordinis defenderint, atque defendant." i. e. qui Caesaris *auctoritatem*, *auctoritatemque* hujus ordinis. (Et utique ne illud mireris, quod etiam C. Caesaris auctoritas ita memoretur, id quod maxime Lambinum eo impulisse arbitror ut lacunosum locum et supplemento egere crederet, cf. iii. 15., "Quumque opera, virtute, consilio C. Caesaris, summoque consensu militum veteranorum, *qui ejus auctoritatem sequuti*, reipublicae praesidio sunt et fuerint, a gravissimis periculis populus Romanus defensus sit et hoc tempore defendantur.") *Ibid.* viii. 7., "Ante consulis oculosque legatorum, tormentis Mutinam verberavit." i. e. ante consulis oculos, oculosque legatorum: quam lectio nem non erat cur viri docti sollicitarent. Conf. etiam emendationem nostram apud *Sallust. Catil.* 53, "Sed mihi legenti multaque audiendi,—." et quae multa ejusdem generis nos collegimus *Commentar. de usu Copular.* p. 120. sq., item ad *Cic. de N. D.* iii. 2. Addas lectio nem infra c. 49. restituendam, "cura *omnique* studio," necnon l. II. principium. Huc facit etiam illa structura, qua fit ut voces partitiae, quales sunt *pars*, *partim*, *alii*, in priore quoque membro ex posteriori adsumentae sint: vide ad *Sallust. Catil.* 50. et 56. Quibus omnibus satis lectio nem arbitror munitam. Simul, transpositione illa Davisii non probata, qua illud *Quantis . . . paruit?* ex c. 44. hue transtulit, suspicione omni carent voces *ad senatum*. Nempe

portenta ista primum ad senatum sunt delata: deinde senatus decemviros ad libros ire jussit. Nam, semel suscepta Davisii transpositione, refingit Rathius quidem, *ad eos a senatu*, sc. ad haruspices: Goerenzius vero verba *ad senatum* pronuntiat necessario in glossa ponenda esse.

8. *Fluvius Atratus.*] Nomen, inquit Marsus apud Orell., parvi fluminis non longe ab Urbe. Hoc nempe ipse ultro hariolatur; nam plane incognitus est iste fluvius Atratus. Necessario tamen vocem *Atratus* pronomine fluvii habendam censeo: nisi forte aliud quoddam nomen latet; nempe habet Harl. I. *Adracus*; unus Moseri *Atracus*; alii duo apud eundem *attractus*: item infra ii. 27., ubi his respondetur, habet Harl. I. *Attrachum*, secundus *Attractum*. Nam quod plerique pro participio habent, *atratus sanguine* jungentes, primum proprio nomine omisso non poterat vox *fluvius* additamento aliquo pronominis destitui, ut *quidam* aut *ille*, simul cum mentione aliqua loci aut populi. Deinde participium istud et poetum nimis est et otiosum est, si quidem etiam verbum *fluxit* ablativum recipit. Denique, id quod quodammodo fatetur Moserus, in loco responsivo ii. 27., "*Atratum etiam fluvium fluxisse sanguine,*" particula *etiam* nomen fluvii jam in principio, potius quam otiosum adjективum, afferre existimanda est, quum praesertim haud dubie ibi *fluxisse sanguine* jungendum sit. Nam vix est ut potuerit Marcus adeo sollicite supervacaneum participium servare, si quidem tam temere atque

guinis nonnumquam, terrae interdum, quondam etiam lactis imber defluxit<sup>9</sup>? quid, quum in Capitolio ictus Centaurus e coelo est? in Aventino portae et homines? Tusculi aedes Castoris et Pollucis, Romaeque Pietatis? Nonne et haruspices ea responderunt, quae evenerunt, et in Sibyllae libris eadem repertae praedictiones sunt?

**XLIV.** Quoties senatus decemviros ad libros ire jussit? Quantis in rebus quamque saepe responsis haruspicum paruit<sup>10</sup>? Caeciliae Q. filiae somnio, modo, Marsico bello, templum est a senatu Junonis<sup>11</sup> Sospitae restitutum: quod quidem somnium Sisenna quum disputavisset mirifice ad verbum cum re convenisse; tum<sup>12</sup> insolenter, credo<sup>13</sup> ab Epicureo aliquo inductus, disputat somniis credi non oportere. Idem contra ostenta nihil disputat, exponitque initio belli Marsici et deorum simulacra sudavisse, et sanguinem fluxisse, et discessisse coelum, et ex occulto auditas esse voces quae pericula belli nuntiarent, et Lanuvii clypeos, quod haruspicibus tristissimum visum esset, a muribus esse derosos. Quid? quod in annalibus habemus, Veienti bello, quum lacus Albanus<sup>14</sup> praeter modum crevisset,

incuriose Quinti exempla recenset, ut neque ordinem servarit, et multa ex iis plane omiserit. Jam vero quod censem Gronovius, "non declarari unum speciale prodigium, et semel factum, sed genus prodigii, quod saepius contingisset, qualia sint etiam alia duo, quibus hoc adjungatur;" fuerint sane genera ista prodigiorum frequentata; tamen credo Quintum speciale fluvii sanguine fluentis exemplum attulisse, sicuti specialia dedit etiam simulachrorum sudantium exempla, specialia alia multa. Et, praeterquam quod abesse non poterat adverbium *saepe* aut aliiquid tale; magis etiam in ista Gronovii interpretatione putidum fit *atratum*: nisi forte credibile est, eos qui prodigia aucuparentur, id curae habuisse ut fluvium sanguine fluentem semper tam poëtice *atratum* nuntiarent. Scripsit autem Moserus, monente Herelio, *quid? cum fluvius*—: praecedere enim et sequi in eadem constructione istam particulam. Atqui non proxime eadem constructio praecedit: nam in illis quidem, *quid? ortus androgyni*, etc. priorem structuram omisit Cie.

**9. Defluxit.]** Dav. cum Grutero effluxit.

**10. Quoties... jussit? Quantis... paruit?]** Sustuli uncinos, quibus haec cinxerat Davisius: vide ad c. 43.

**11. Junonis Sospitae.]** Dedit Dav. *Junonis* e cod. Paris. pro *Junoni*, recte: accedunt duo apud Moserum. Supra modo, i. e. nuper: nam male Hott. jungit *somnio modo*.

**12. Tum insolenter.]** Ursini codex, item Oxon. unus, *tamen*: cuius particulae vim adverbium *insolenter* non desiderat. Et recte monet Orell., *tum h. l. temporis esse particulam, ut iterum infra h. c., et in Catil. iji. 6.*

**13. Credo ab Epicureo aliquo inductus.]** Verbum *credo* mallet quis interponere potius, sic, *ab Epicureo aliquo, credo, inductus*; quomodo suo arbitrio scripsit Gottl. Cortius apud *Sallust.*, *Catil.* 52., "falsa, *credo*, existumans;" et ego ipse, certorum codicem sequutus, scripsi apud eundem *B. J.* 90., "diis, *credo*, freatus;" nunc vero utroque loco τὸ *credo* in pristinam sedem suam censeo reducendum. Cf. *Cic. de. Rep.* iii. 15., "credo timentes." adde supra c. 5. (bis,) *N. D. i. 21., pro Mil. 8.*

**14. Lacus Albanus.]** Cf. *Liv. v.*

Veientem quemdam ad nos hominem nobilem profugisse, eumque dixisse, ex fatis, quae Veientes scripta haberent, Veios capi non posse, dum lacus is redundaret: et, si lacus emissus lapsu et cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum populo Romano; sin autem ita esset eductus, ut ad mare pervenire non posset, tum salutare nostris fore; ex quo illa admirabilis<sup>15</sup> a majoribus Albanae aquae facta deductio est. Quum autem Veientes bello fessi legatos ad senatum misissent, tum ex his quidam dixisse dicitur, non omnia illum transfugam ausum esse senatu<sup>16</sup> dicere: in ipsis enim fatis scriptum Veientis habere, *Fore ut brevi a Gallis Roma caperetur*: quod quidem sexennio post Veios captos factum esse videmus<sup>17</sup>.

XLV. Saepe etiam et in proeliis Fauni auditи; et in rebus turbidis veridicæ voces ex occulto missae esse dicuntur; cuius generis duo sunt ex multis exempla, sed maxima. Nam non multo ante urbem captam exaudita<sup>18</sup> vox est a luco Vestae, qui a Palatī radice in Novam Viam devexus est, “Ut muri et portae reficerentur; futurum esse, nisi provisum esset, ut Roma caperetur.” Quod neglectum quum caveri poterat, post acceptam illam maximam cladem explicatum<sup>19</sup> est: ara enim Aio Loquenti, quam septam videmus, exadversus eum locum consecrata est. Atque etiam scriptum a multis est, quum terrae motus factus esset, *Ut sue plena<sup>20</sup> procuratio fieret*, vocem ab aede Junonis ex arce exstisset: quocirca Junonem illam appellatam Monetam<sup>21</sup>: Haec igitur et a diis significata, et a nostris majoribus<sup>22</sup> judicata contemnimus? Neque solum deorum voces Pythagorei observitaverunt, sed etiam hominum, quae vocant omina: quae majores nostri quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, *Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset*, praefabantur: rebusque divinis, quae pub-

15. Infra dedit Orell. *perfugisse* pro *profugisse*: sed significantior est *vulgata*; nam qui *profugit*, idem etiam *perfugit*.

15. *Admirabilis.*] Dav. *mirabilis*.

16. *Senatu dicere.*] I. e. senatui. Ita autem scripsi ex Harl. 1. et Monacensi.

17. *Videmus.*] Ita recte Dav. e codd. pro vulg. *vidimus*, conferens loca supra c. 16. et 40.

18. *Exaudita vox.*] Lege Liv. v. 32.

19. *Explicatum est.*] Explicatum est; et utique, tandem explicata re, ara est Aio Loquenti consecrata. Con-

jicit Davisius *expiatum*, collato Liv. v. 50.; idque nuperi editores etiam receperunt. At codicum lectionem recte tuetur Kayserus, monens, esse antecedens pro consequenti positum.

20. *Sue plena.*] Gravida. Ovid. Fast. iv. 633., “Nunc gravidum pecus est; gravidae nunc semine terae: Telluri plenae victima plena datur.”

21. *Monetam.*] Nempe a monendo.

22. *Et a nostris majoribus judicata.*] Utique qui optimum judicium de iis facere potuerunt.

lice fierent, ut faverent<sup>23</sup> linguis, imperabatur; inque feriis imperandis, ut litibus et jurgiis se abstinerent. Itemque in lustranda colonia, ab eo qui eam deduceret: et quum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis<sup>24</sup> nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur; quod idem in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono<sup>25</sup> nomine: quae quidem a te scis et consule et imperatore summa religione esse servata. Praerogativam etiam majores omen justorum comitiorum<sup>26</sup> esse voluerunt.

**XLVI.** Atque ego exempla ominum nota proferam. L. Paullus consul iterum, quum ei, bellum ut cum rege Perse gereret, obtigisset; ut ea ipsa die domum ad vesperum<sup>27</sup> rediit, filiolam suam Tertiam, quae tum erat admodum parva, osculans animum<sup>28</sup> advertit tristiculam: *Quid est, inquit, mea Tertia? quid tristis es? Mi pater,* inquit, *Persa periit.* Tum ille artius puellam complexus, *Accipio,* inquit, *mea filia, omen<sup>29</sup>:* erat autem mortuus catellus eo nomine. L. Flaccum, flaminem Martialem, ego audivi quum diceret, Caeciliam Metelli, quum vellet sororis suae filiam in matrimonium collocare, exisse in quoddam sacellum ominis capiendi causa; quod fieri more veterum solebat. Quum virgo staret, et Caecilia in sella sederet, neque diu ulla vox exstitisset<sup>30</sup>, puellam defatigatam petisse a matertera, ut sibi concederet, paulisper ut in ejus sella requiesceret: illam autem dixisse, *Vero<sup>31</sup>*, mea puella, tibi concedo meas sedis: quod omen res consequuta est: ipsa enim brevi mortua est; virgo autem nupsit cui Caecilia nupta fuerat. Haec posse contemni, vel etiam rideri, praelare intellego: sed

23. *Faverent linguis.]* Vide ad ii. 26.

24. *Bonis nominibus . . . eligebantur.]* Vide, monente Davisio, *Lips. ad Tacit. Hist. iv. 53., Brisson. de Form. lib. I. p. 92.* et interpretes ad *Cic. pro Mur. 18.*

25. *Ut primus miles fiat bono nomine.]* Nempe quale est nomen *Valerii*, aut *Statorii*. Vide de hoc more Scholium luculentum apud Maium ad Orat. *pro Scauro*, p. 6.

26. *Omen j. comitiorum.]* Vide infra ii. 40., *pro Mur. 18. extr.*—Supra codd. aliquot, etiam Harl. I., *summa cum religione.*

27. *Ad vesperum.]* Dedit e codd. suis Davisius, pro *ad vesperam*; sed jam habent veteres editi multi. De praepositione autem *ad*, vide ad c. 28. supra.

28. *Animum advertit.]* Ita divisi scriptis Davisius ex codd. duobus et ed. Victorii: accedit Harl. I. Infra *artius pro arctius* est ex eodem Harl. I.

29. *Accipio, inquit, m. f., omen.]* Hoc ordine scribunt recentiores, cum quibus facit Harl. I.: Davisius *Acc. omen, inq., m. f.*; at Harl. 3. habet *omen utroque in loco.*

30. *Vox extitisset.]* Harl. I. *existet, frustra.* Mox scribit Dav., sive consulto, sive non, *defatigatam.* Recte autem distinguit Moserus, *ut sibi concederet, paulisper ut—; pro concederet paulisper, ut—.*

31. *Vero, mea puella.]* Harl. I. *illam vero dixisse, Mea puella: frustra:* cf. *Tusc. ii. 11.*, “*Fuisti saepe, credo, . . . in scholis philosophorum. Vero, ac lubenter quidem.*”

id ipsum est deos non putare, quae ab iis significantur contemnere.

**XLVII.** Quid de auguribus loquar? tuae partes sunt: tuum, inquam, auspiciorum patrocinium debet esse. Tibi App. Claudius augur consuli nuntiavit, addubitato Salutis<sup>32</sup> augurio, bellum domesticum triste ac turbulentum fore: quod paucis post mensibus exortum paucioribus a te est diebus oppressum. Cui quidem auguri vehementer adsentior: solus enim multorum annorum memoria, non decantandi<sup>33</sup> augurii, sed divinandi tenuit disciplinam: quem irridebant collegae tui, eumque tum Pisidam<sup>34</sup>, tum Soranum augurem esse dicebant. Quibus nulla videbatur in auguriis aut auspiciis praesensio aut scientia<sup>35</sup> veritatis futurae; sapienter, aiebant, ad opinionem imperitorum esse factas<sup>36</sup> religiones. Quod longe secus est: neque enim in pastoribus<sup>37</sup> illis, quibus Romulus praefuit, nec in ipso Romulo haec calliditas esse potuit, ut ad errorem multitudo religionis simulacra<sup>38</sup> fingerent; sed difficultas laborque discendi disertam<sup>39</sup> neglegentiam reddidit: malunt enim disseverare, nihil esse in<sup>40</sup> auspiciis, quam quid sit ediscere. Quid est illo auspicio divinius, quod apud te in Mario<sup>41</sup> est? ut utar potissimum auctore te.

Hic Jovis altisoni subito pinnata satelles,  
Arboris e trunko, serpentis saucia morsu,  
Subicit<sup>42</sup> ipsa feris transfigens unguibus anguem

32. *Salutis augurio.*] Id non saepius fiebat, quam Jani templum claudebatur, utique non nisi quum imperium omne pacatum esset. Vide *Torrentium ad Sueton. Aug. 31.*

33. *Decantundi augurii.*] Vide ii.

34.

34. *Tum Pisidam, tum Soranum augurem.*] Tamquam magis, quam Romanum hominem deceret, arti deditum.

35. *Aut scientia.*] Has voces plures libri non agnoscunt, et uncinis inclusit Davisius.

36. *Sapienter ... factas.*] Cf. N. D. i. 27. et 42.

37. *Neque enim in pastoribus illis ... haec calliditas.*] Plane eodem modo a Christiana religione eadem calumnia amovenda est.

38. *Religionis simulacra.*] Cf. ii. 33. extr., "Haec ... simulacula sunt auspiciorum, auspicia nullo modo."

39. *Disertam neglegentiam reddidit.*] Continuo se ipse interpretatur: "Malunt enim disserere, etc."

40. *Nihil esse in auspiciis.*] Infra c. 50., "Nihil esse in observatione putant."

41. *Apud te in Mario.*] Nempe carmine heroico Marcus municipalis sui C. Marii res persequutus est. Unus amplius versus apud Nostrum exstat de *Leg. i. 1.*

42. *Subicit.*] I. e. *subjicit*. Ita malui scribere e conjectura Gulielmii pro vulg. *subigit*, quod versus non fert, quam aut cum Lambino literam geminare, *subbicit*, aut cum Turnebo et Aldo nepote mutare ordinem, *Ipsa feris subigit*. Cf. *de Leg. ii. 18.*, "ad eam (terram) utendam ferroque *subjiciendam*." ubi frustra Dav. *subigendam*. Adde quod potest aliquo modo huc respicere quod infra est, *Abjicit efflantem*.

Semianimum et varia<sup>43</sup> graviter cervice micantem.  
 Quem se intorquentem lanians rostroque cruentans,  
 Jam satiata animos, jam duros ulta dolores,  
 Abjicit efflantem, et laceratum adfligit in unda<sup>44</sup>,  
 Seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus.  
 Hanc ubi praepetibus pinnis lapsusque volantem  
 Conspergit Marius, divini numinis augur,  
 Faustaque signa suae laudis reditusque notavit;  
 Partibus intonuit coeli pater ipse sinistris.  
 Sic aquilae clarum firmavit<sup>45</sup> Juppiter omen.

**XLVIII.** Atque ille Romuli auguratus pastoralis, non urbanus fuit; nec fictus ad opiniones imperitorum, sed a certis<sup>46</sup> acceptus, et posteris traditus. Itaque Romulus augur, ut apud Ennium est, cum fratre item augure,

Curantes magna cum<sup>47</sup> cura, concupientes  
 Regni, dant operam simul auspicio augurioque.  
 Hinc Remus auspicio se devonet, atque secundam  
 Solus avem servat<sup>48</sup>. At Romulu' pulcher in alto  
 Quaerit Aventino<sup>49</sup> servans genus altivolantum.  
 Certabant urbem Romamne Remamne<sup>50</sup> vocarent.  
 Omnibu'<sup>51</sup> cura viris, uter esset induperator:  
 Exspectant, veluti consul quum mittere signum

43. *Varia graviter cervice micantem.]* Hic atque illic cervicem cum vi agitantem.

44. *Adfligit in unda.]* Lambinus in *undas*, frustra: contulit Moserus *N. D.* ii. 49., "aves, quae se in mari mergerent." Supra Harl. 3. *ulcta pro ultra.*

45. *Firmavit Juppiter omen.]* Servius ad *Aen.* ii. 691., apud Davisium, "Non unum augurium vidiisse sufficit, nisi confirmetur ex simili; nam si dissimilia sunt posteriora, solvuntur priora."

46. *Sed a certis acceptus.]* Ab hominibus certae fidei: cf. *ad Fam.* i. 7., "Quoties milii certorum hominum potestas erit, quibus recte dem (*literas*), non praetermittam." adde *ad Att.* v. 17., viii. 1.

47. *Curantes m. cum cura.]* Cf. *Plaut. Menaech.* v. 4. 7., "Magna cum cura ego illum curari volo." adde *ib.* v. 9.

48. *Solus avem servat.]* Oculis assequitur, conspicit: cf. *Ovid. de Trist.* i. 9. 49., "Haec mihi non ovium fibrae, tonitrusve sinistri, Linguave

*servatae, pennave, dixit avis.*"

49. *At Romulu' . . . Aventino.]* Aliter historici: sed nihil attinet, arbitror, poëtam corrigerem.

50. *Romamne Remamne.]* Alii *Romam Remoramne*; quomodo Remi habitationem appellatam, allato Festo, docet sane Davisius. Sed non frustra monet Moserus, non de ista regna quaeri, sed quomodo novam urbem vocarent certatum esse.

51. *Omnibu' cura viris.]* Veteres editi fere, necnon scripti aliquot *omnis cura viris*; eamque lectionem cum Hott., Sch., et novissimo Ennii editore praetulit Moserus: frustra plane; si quidem fratribus istis regni esse certamen satis superque ex superioribus illis perspicuum est, "Curantes magna cum cura, *concupientes regni.*" Et magis aliquanto attinebat illud potius admonere, etiam populo curae fuisse, uter esset imperator. Pergit autem Poëta, et suam ipse tuetur lectionem, "Exspectant — Sic exspectabat populus, — utri magni Victoria sit data regni."

Volt, omnes avidi spectant ad carceris oras,  
 Quam mox emittat pictis e faucib' currus :  
 Sic exspectabat populus, atque ore <sup>52</sup> timebat  
 Rebus, utri magni victoria sit data regni.  
 Interea sol albu' <sup>53</sup> recessit in infera noctis.  
 Exin candida se radiis dedit icta <sup>54</sup> foras lux :  
 Et simul ex alto longe pulcherruma praepones  
 Laeva volavit avis : simul aureus exoritur sol.  
 Cedunt ter quatuor <sup>55</sup> de coelo corpora sancta  
 Avium, praeponibus sese pulchrisque locis dant.  
 Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,  
 Auspicio regni stabilitaque <sup>56</sup> scamna solumque.

**XLIX.** Sed unde huc digressa est, eodem redeat <sup>57</sup> oratio. Si nihil queam disputare, quamobrem quidque fiat, et tantummodo fieri ea quae commemoravi doceam, parumne Epicuro Carneadive respondeam? Quid, si etiam ratio exstat artificiose praeensionis facilis, divinae <sup>58</sup> autem paulo obscurior? Quae enim extis, quae fulgoribus <sup>59</sup>, quae portentis, quae astris praeentiuntur, haec notata sunt observatione diurna. Adfert autem vetustas omnibus in rebus longinqua observatione incredibilem scientiam: quae potest esse etiam sine motu atque impulsu deorum, quum, quid ex quoque eveniat et quid quamque rem significet, crebra animadversione perspectum est. Altera divinatio est naturalis, ut ante dixi; quae physica <sup>60</sup> disputandi subtilitate referenda est ad naturam deorum, a qua, ut doctissumis sapientissimisque placuit, haustos <sup>61</sup> animos et

52. *Atque ore timebat Rebus.]* Jungendum arbitror, *Sic exspectabat populus, utri—, atque ore timebat rebus;* h. e. vultu prodebat timorem, alii alterius, alterius alii rebus studentes. Quamquam dedit Moserus cum nuperissimo Ennii editore, id quod olim etiam Turnebo et Lambino placuit, *ora tenebat rebus*, monens ille quidem, hanc non sola Turnebi conjectura nisi lectionem, sed jam in codd. suis duobus et edd. Asc. I. 2. Crat. Herw. exstare.

53. *Sol albu' recessit.]* Lunam intelligit Merula: nimirum infra est, “simul aureus exoritur sol.”

54. *Se radiis dedit icta foras lux.]* Legit Wakefield *Silv. Crit.* iv. 78., *acta.*

55. *Cedunt ter quatuor.]* Monet Dav. *quatuor* pro dissyllabo habendum esse, ex *Chr. Wasio de Senar.* p. 103. Sic etiam *Avium* proximo versu *avum* efferendum est.

56. *Stabilitaque.]* Junge cum superioribus. Addidi autem copulam cum Mosero, e libro Ciofani.

57. *Eodem redeat oratio.]* Harl. 2. referat se oratio (sine eodem); quomodo alibi, opinor, Cicero.

58. *Divinae autem.]* Eamdem mox naturalem dicit, et referendam ad naturam deorum.

59. *Fulgoribus.]* Ita cum Palatinis scribunt etiam nostri tres Harl., non *fulguribus*: ita nostri etiam infra ii. 18. et 19.

60. *Physica disputandi subtilitate.]* Ea disputandi subtilitate, quae ad physicas res adhiberi solet.

61. *A qua . . . haustos animos—.]* Noster *de Senect.* 21., “Audiebam Pythagoram Pythagoreosque . . . numquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus.” Adde quae plura loca ad *N. D. i. 1.* adnotata sunt.

libatos habemus: quumque omnia completa et referta sint aeterno sensu et mente divina, necesse est cognatione<sup>62</sup> divinorum animorum animos humanos commoveri. Sed vigilantes<sup>63</sup> animi vitae necessitatibus serviunt, dijunguntque se a societate divina, vinculis corporis impediti. Rarum est quoddam genus eorum, qui se a corpore avocent<sup>64</sup>, et ad divinarum rerum cognitionem cura omniique<sup>65</sup> studio rapiantur. Horum sunt auguria non divini impetus, sed rationis humanae: nam et natura futura praesentiunt, ut aquarum fluxiones<sup>66</sup>, et deflagrationem futuram aliquando coeli atque terrarum: alii autem in republica exercitati, ut de Atheniensi Solone<sup>67</sup> accepimus, orientem tyrannidem multo ante prospiciunt: quos prudentis possumus dicere, id est providentis<sup>68</sup>, divinos nullo modo possumus; non plus<sup>69</sup> quam Milesium Thalem: qui, ut objurgatores suos convinceret, ostenderetque etiam philosophum, si ei commodum<sup>70</sup> esset, pecuniam facere<sup>71</sup> posse, omnem oleam, antequam florere coepisset, in agro Milesio coëmisso dicitur. Animadverterat fortasse quadam scientia, olearum ubertatem fore. Et quidem idem primus defectionem solis, quae Astyage regnante facta est, praedixisse fertur.

L. Multa medici, multa gubernatores, agricolae etiam multa praesentiunt: sed nullam eorum<sup>72</sup> divinationem voco; ne illam quidem, qua ab Anaximandro physico moniti Lacedaemonii sunt ut urbem et tecta linquerent<sup>73</sup> armatique in agro excubarent, quod terrae motus instaret, tum, quum et urbs tota corruit, et ex monte Taygeto extrema montis<sup>74</sup> quasi puppis

62. *Cognitione.*] Conj. Dav. *contagione*; frusta: vide supra c. 30., N. D. i. 32. extr.

63. *Vigilantes animi.*] Sic etiam ii. 62. et 63. , et plane nihili est Davisii conjectura *vigilantium*. Adde infra c. 57.

64. *Qui se a corpore avocent.*] Cf. Tusc. i. 30. et 31.

65. *Cura omniique studio.*] Cura omni omniique studio. Sic Harl. 2.; vulg. *cura omni studioque*: vide ad c. 43. supra, *delata etiam*; adde not. ad ii. 64. infra.

66. *Aquarum fluxiones.*] Conjectit Turnebus *eluviones*, eleganter; quod nuperi etiam receperunt, sicut olim Lambinus.

67. *De Atheniensi Solone.*] Vide Valer. Max. v. 3. 3.

68. *Id est providentis.*] Cf. fragm. Hortens. apud Moser., "Id enim est

sapientis, providere: ex quo sapientia est appellata *prudentia*."

69. *Non plus quam—.*] Cf. de Off. iii. 33., "Neque enim bonitas, nec liberalitas, nec coinitas esse potest, non plus quam amicitia, si—."

70. *Si ei commodum esset.*] Si ei nomini atque professioni conveniret.

71. *Pecuniam facere.*] Sic in Verr. ii. 6. et 53. extr.

72. *Sed nullam eorum divinationem voco.*] I. e. sed nullam earum praesensionum divinationem voco. Harl. 1. *vocamus*.

73. *Linquerent.*] Harl. 1. et 2. *relinquerent*, frusta: contulit Moserus, pro Planc. 10., "Linquentem terram eam, quam servaverat, . . . lacrimis prosecuti sunt."

74. *Extrema montis quasi-puppis.*] Breviter, pro *extrema pars montis*, *quae quasi puppis erat*. Quod vero

avolsa est. Ne<sup>75</sup> Pherecydes quidem ille, Pythagorae magister, potius divinus habebitur quam physicus; qui<sup>76</sup> quum vidiisset haustam aquam de jugi puteo, terrae motus dixit instare. Nec vero umquam animus hominis naturaliter divinat, nisi quum ita solutus est et vacuus, ut ei plane nihil sit cum<sup>77</sup> corpore: quod aut vatibus contingit aut dormientibus. Itaque ea duo genera a Dicaearcho probantur et, ut dixi, a Cratippo nostro. Si propterea quod ea proficiscuntur a natura; sint summa sane, modo ne sola: sin autem nihil esse in<sup>78</sup> observatione putant, multa tollunt quibus vitae ratio<sup>79</sup> continetur. Sed quoniam dant<sup>80</sup> aliquid, idque non parvum, vaticinationes<sup>81</sup> cum somniis; nihil est quod cum his magnopere pugnemus; praesertim quum sint, qui omnino nullam divinationem probent<sup>82</sup>. Ergo et ii, quorum animi, spretis corporibus, evolant atque excurrunt foras, ardore aliquo inflammati atque incitati, cernunt illa profecto quae vaticinantes praenuntiant: multisque rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhaerent; ut ii qui sono quodam vocum et Phrygiis<sup>83</sup> cantibus incitantur. Multos nemora silvaeque, multos annes aut maria commovent: quorum furibunda mens videt ante multo<sup>84</sup>, quae sunt futura. Quo de genere illa sunt,

Eheu, videte<sup>85</sup>: judicavit inclytum  
Judicium inter deas tris aliquis;

Davisiō odiosum est repetitum nomen  
*montis* pro pronomine, vide ad *N. D.*  
iii. 11., “Illa (natura) vero cohaeret  
et permanet *naturae* viribus.” Harl.  
1. de monte *T.*, 2. in *m. T.*, 3. e. Ad  
rem cf. *Plin. H. N.* ii. 81.

75. *Nec Pherecydes quidem—.*] Scribendum *Nec* pro *Ne* jam recte monuerat Rathius; in codice quodam reperit Moserus; quippe post illa, *ne illam quidem*.

76. *Qui quum vidisset haustam aquam—.*] Puta turbidam: cf. *Plin. H. N.* ii. 83. apud Dav. Pro *qui* autem dedit Dav. *quod*, item infra *motum pro motus*: de quibus emendationibus non laboreo.

77. *Ut ei plane nihil sit cum corpore.*] Cf. ad *Att. xiv. 15.*, “Bruto certe meo nullo loco deero: idque, etiam si mihi cum illo nihil fuisset, facerem—.”

78. *Nihil esse in—.*] Cf. c. 47. su-  
pra.

79. *Quibus vitae ratio continetur.*] Hottinger.: “quae valent in vita quotidiana, et ad quae nos in rebus gerendis componimus.”

80. *Quoniam dant aliquid.*] I. e. concedunt: cf. *de Fin. v. 23.*, “*Dato hoc, dandum erit illud.*” Infra ii. 50. bis.

81. *Vaticinationes.*] Creuzeri co-  
dex *vaticinationis*. Has autem tres  
voces frusta pro glossemate habuit  
Davisiō. Mox Harl. 2. *magno opere.*

82. *Quum sint qui . . . probent.*] Nostri omnes *probent*: perperam Davisiō ex uno *probant*.

83. *Phrygiis cantibus.*] Cf. *Lucret.*  
ii. 620., “*Phrygio* stimulat numero  
cava tibia mentes.”

84. *Videt ante multo.*] Harl. 1. et  
2. *multa.*

85. *Eheu videte; etc.*] Ita hos ver-  
sus disponendos censem Davisiō; ut  
primus sit Iambicus, reliqui Anapaes-  
tiei.

Quo judicio Lacedaemonia  
Mulier, furiarum una, adveniet.

Eodem enim modo multa a vaticinantibus<sup>86</sup> saepe praedicta sunt, neque solum verbis, sed etiam

Versibu', quos olim Fauni vatesque caneabant.

Similiter Marcius et Publicius vates cecinisse dicuntur: quo de genere Apollinis operta<sup>87</sup> prolata sunt. Credo etiam anheilius<sup>88</sup> quosdam fuisse terrarum, quibus inflatae mentes oracula funderent.

LI. Atque haec quidem vatium<sup>89</sup> ratio est: nec dissimilis sane somniorum. Nam quae vigilantibus accidentunt vatibus, eadem nobis dormientibus: viget enim animus in somnis, liberque<sup>90</sup> est sensibus atque ab omni impeditione curarum, jacente et mortuo paene corpore. Qui quia vixit ab omni aeternitate versatusque est cum innumerabilibus animis, omnia, quae in natura rerum sunt, videt; si modo temperatis escis modicisque potionibus ita est adfectus<sup>91</sup>, ut sopito corpore ipse vigilet. Haec somniantis est divinatio. Hic magna quaedam exoritur, neque ea naturalis sed artificiosa, somniorum Antiphonis<sup>92</sup> interpretatio; eodemque modo<sup>93</sup> et oraculorum et vaticinationum: sunt enim explanatores<sup>94</sup>, ut grammatici poëtarum. Nam ut aurum et argentum, aes, ferrum frustra natura divina<sup>95</sup>

86. *Multa a vaticinantibus.*] Addit codex S. Victoris et *avantibus*; unde Gulielmus *evantibus*. Cod. Paris. Davisiis, item Harl. 3., *vaticinantibus et cinantibus*; Cod. Rehdiger. *vaticinantibus et divinantibus*.

87. *Apollinis operta.*] Videtur librer fuisse ea inscriptione, Apollinis oracula complectens. Contulit Orell. Valer. Flacc. ii. 440., "sacrisque metum servemus opertis."

88. *Credo etiam anheilius*—.] Refer, monente Hottingero, ad illa: "multisque rebus inflammantur tales animi, etc."

89. *Vatium.*] Exstat haec forma in Harl. I., Pal. I. et 2., Leid. 3.; nec secus scribunt codd. Goerenzii quatuor probatiores apud Nostrum de Leg. ii. 8.

90. *Liberque est sensibus atque ab omni impeditione curarum.*] Addidi est cum Mosero: quum vero scripserint editores alii perperam e conj.

Dav. *sensibus ac omni*, alii *et omni*, mihi placuit cum Lambino primum praepositionem *ab* retinere, deinde copulam *atque* potissimum reponere. In eo autem nolui eumdem virum doctissimum sequi, quod etiam geminandum praepositionem putavit, *a sensibus atque ab*—.

91. *Si . . . itu est adfectus.*] Vide ad c. 30. supra.

92. *Antiphonis.*] Ita scribunt plures libri: alii *Antiphontis*. Vim autem genitivi interpretatur Hotting., *ab Antiphone tentata*.

93. *Eodemque modo . . . vaticinationum.*] Nempe oriuntur interpretationes.

94. *Sunt enim explanatores.*] Frustra hic deesse aliquid credunt viri quidam docti. Intellige autem explanatores oraculorum et vaticinationum.

95. *Natura divina genuisset.*] Harl. 1. n. g. *divina*: at secundus delet *divina*.

genuisset, nisi eadem docuisset quemadmodum ad eorum venas perveniret: nec fruges terrae bacave arborum cum utilitate ulla generi humano dedisset, nisi earum cultus et conditiones<sup>96</sup> tradidisset: materia deinde quid<sup>97</sup> juvaret, nisi consectionis<sup>98</sup> ejus fabricam haberemus? sic cum omni utilitate, quam dii hominibus dederunt, ars aliqua conjuncta est, per quam illa utilitas percipi possit. Item igitur somniis, vaticinationibus, oraculis, quod erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitae sunt interpretum. Quo modo autem aut vates aut somniantes ea videant, quae nusquam etiam tunc sint, magna quaestio est: sed explorata si sint ea quae ante quaeri debeant, sint haec, quae quaerimus, faciliora. Continet enim totam hanc quaestionem ea ratio, quae est de natura deorum, quae<sup>99</sup> a te secundo libro est explicata dilucide: quam si obtinemus, stabit illud quidem<sup>1</sup>, quod hunc locum continet de quo agimus, Esse deos, et eorum providentia mundum administrari; eosdemque consulere rebus humanis, nec solum universis, verum etiam singulis. Haec si tenemus, quae mihi quidem non videntur posse convelli; profecto hominibus a diis significari futura<sup>2</sup> necesse est.

LII. Sed distinguendum videtur, quonam modo<sup>3</sup>. Nam non placet Stoicis, singulis jecorum fissis aut avium cantibus interesse deum: neque enim decorum est, nec diis dignum, nec fieri ullo pacto potest: sed ita a principio inchoatum esse mundum, ut certis rebus certa signa praecurrerent, alia in extis, alia in avibus, alia in fulgoribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium visis, alia in furentium vocibus. Ea quibus bene percepta sunt, ii non saepe falluntur. Male conjecta maleque interpretata, falsa sunt, non rerum vitio, sed

96. *Conditiones.*] Ad verbum *condire* refert Ernestius; sed rectius alii *condendi* potius modos intelligunt, i. e. reponendi ac servandi; vide ad N. D. ii. 60. Harl. 2. *conditionesque.*

97. *Quid juvaret, nisi . . . ?*] I. e. nil juvaret, nisi—? Nempe respi cienda etiam est particula *ut*, cui mox *sic* respondet. Supra alii codices, etiam Harl. 2., *materiave quid.*

98. *Consectionis ejus fabricam.*] Conf. N. D. ii. 60., “Arborum autem *consectione*, omnique materia et culta et silvestri . . . utimur.” Notandum autem duplex genitivus, *consectionis ejus*, alter ab altero pendens;

vide *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* ii. 3. 15.; adde *N. D.* iii. 5., *Castoris equi.* At male locum cepit Davisius, quem *consectionibus* rescribendum censeret.

99. *Quae a te secundo libro est expl. dil.*] Recedit haec Hottinger., ita ut deleat *quae* et *est*; eumque sequuti sunt Schuetzii, Moserus, Orellius.

1. *Stabit illud quidem.*] Delevit *quidem* Davisius, frustra: vide ad N. D. iii. 10.

2. *Significari futura.*] Postposui *futura*, Harl. I., duos Moseri, sequentes.

3. *Quonam modo.*] Sc. significentur.

interpretum inscitia<sup>4</sup>. Hoc autem posito atque concessso, esse quamdam vim divinam, hominum vitam continentem; non difficile est, quae fieri certe videmus, ea qua ratione fiant suspicari. Nam et ad hostiam deligendam potest dux esse vis quaedam sentiens, quae est toto confusa<sup>5</sup> mundo: et tum, ipsam quum immolare velis, extorum fieri mutatio potest, ut aut absit aliquid aut supersit: parvis enim momentis<sup>6</sup> multa natura aut adfingit, aut mutat, aut detrahit. Quod ne dubitare possimus, maxumo est argumento quod paulo ante interitum Caesaris contigit: qui quum immolare illo die, quo primum in sella aurea sedit et cum purpurea veste processit, in extis bovis opimi cor<sup>7</sup> non fuit. Num igitur censes ullum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse? Qua ille rei novitate non<sup>8</sup> ita est perculsus, quum Spurinna diceret, timendum esse ne et consilium et vita deficeret; earum enim rerum utrumque<sup>9</sup> a corde proficisci. Postero die caput in jecore non fuit. Quae quidem illi portendebantur a diis immortalibus, ut videret interitum, non ut caveret. Quum igitur eae partes in extis non reperiuntur, sine quibus victima illa vivere nequisset; intelle-

4. *Interpretum inscitia.*] Dedit *inscitia* Moserus e codd. et edd. satis multis pro vulg. *inscientia*, laudans *Gernhardi Excurs. ad Cic. Parad.* iii. I. 2., "Auri navem evertat gubernator, an paleae; in re aliquantum, in gubernatoris *inscitia* nihil interest." Nempe *inscitia* est inscientia factis se ipsa ostendens; hoc arbitror discrimen esse: adde not. ad *de Fato* c. 16.

5. *Quae est toto confusa mundo.*] Cf. *Virg. Aen.* vi. 724.—"Coelum ac terras camposque liquentes, Lucentemque globum Lunae Titaniaque astra, Spiritus intus alit, totamque *infusa* per artus Mens agitat molem et magno se corpore miscet."

6. *Parvis momentis.*] Interpretatur Hottinger., "Facile: sine magna operae aut virium impensa." Confert Moser. *Phil.* v. 10., "Minimis *momentis*, P. C., maximae inclinationes temporum fiunt."

7. *Cor non fuit.*] Cf. *Plin. H. N.* xi. 71., *Valer. Max.* i. 6. 13.

8. *Qua ille rei novitate non ita est perculsus.*] Aliter plane codd. perculsum Caesarem faciunt: contra ac tradit *Sueton.* in *vita* c. 77., "Eo arrogantiae progressus est, ut . . . futura diceret laetiora quum vellet."

Addidi igitur tres voculas *non ita est*, nempe quas jam Moserus, egregia conjectura usus, ex nomine *novitate* censuit eruendas. Nimirum conjectit V. C. *qua ille re non ita est*, vel. *q. i. re nova non ita est*. At nolim ego lectionem *rei novitate* mutatam; et lubentius crediderim voces *non ita est* in similitudine scripturae a festinante librario ac nihil aliud quam perculsum Caesarem exspectante plane omissas esse. Sic autem particula *quum pro quamvis* utique accipienda est. Jam vero illud quod infra est, "Postero die caput in jecore non fuit," significanter dictum intellige: q. d., "Dixi illum non valde perculsum fuisse: at postero item die, quum pergeret homo confidens alia victima deorum voluntatem exquirere, ecce, caput in jecore non fuit."

9. *Earum rerum utrumque.*] Voluit Dav. *utramque*: cui opponit Hott. illud infra ii. 57., "mentem . . . providam *rerum futurarum* . . . , ut ea . . . cernat multo ante." *De Fin.* iv. 10., "earum *rerum*, quae sint secundum *naturam*, quam plurima . . . adipisci." *Sallust. Jug.* 41., "abundantia *earum rerum*, quae prima mortales ducent."

gendum est, in ipso immolationis tempore eas partis, quae absint<sup>10</sup>, interisse.

LIII. Eademque efficit in avibus divina mens, ut tum hoc, tum illuc volent alites: tum in hac, tum in illa parte se occultent: tum a dextra, tum a sinistra parte canant oscines. Nam si animal omne, ut volt, ita utitur motu<sup>11</sup> sui corporis, prono, obliquo, supino, membraque quocumque volt fleetit, contorquet, porrigit, contrahit; eaque ante efficit paene quam cogitat: quanto id deo est facilius, cujus numini parent omnia? Idemque mittit et<sup>12</sup> signa nobis ejus generis, qualia permulta historia tradidit: quale scriptum illud videmus; si luna paulo ante solis ortum defecisset in signo Leonis, fore, ut armis Darius et Persae ab Alexandro et Macedonibus proelio<sup>13</sup> vincerentur, Dariusque moreretur: et, si puella nata biceps esset, seditionem in populo fore, corruptelam et adulterium domi: et, si mulier leonem peperisse visa esset, fore ut ab exteris gentibus vinceretur ea res publica, in qua id contigisset. Ejusdem generis etiam illud est quod scribit Herodotus; Croesi filium, quem esset infans<sup>14</sup>, loquutum: quo ostento regnum patris et domum funditus concidisse. Caput arsisse<sup>15</sup> Servio Tullio dormienti, quae historia non prodidit? Ut igitur qui se tradit ita<sup>16</sup> quieti, praeparato animo quum bonis cogitationibus<sup>17</sup>, tum rebus ad tranquillitatem adcommodatis, certa et vera cernit

10. *Quae absint.]* Delet Harl. 2.

11. *Motu sui corporis.]* Harl. 1. nutu. Infra idem ante efficit paene, antequam cogitet.

12. *Idemque mittit et signa nobis.]* Accipit et pro etiam hic Kayserus. Sed Mosero potius assentior, hunc locum iis adnumerandum esse, quibus Cicero, quum perinde instituerit sermonem quasi dicturus esset et—, et—, postea, pluribus quam animo praecipisset interpositis, structuram prius cogitatum abjecerit, et ἀνακολούθως pergit. Nempe voluisse, *Idemque mittit et signa nobis et somnia;* sed, quum plura interposuisset signorum exempla, non potuisse commode in inchoata structura pergere: *Ut igitur . . . vera cernit in somnis.* Vide ad c. 20. supra.

13. *Fore, ut armis . . . proelio vincentur.]* Delevit Davisius *proelio*, unicum codicem sequutus: quam vocem ut lubenter concedo equidem abesse potuisse, ita non ab alio quam

a Cicerone additam credo. Et vero inter *armis* et *proelio* sunt tam multa interposita, ut facile possit, credo, supervacanea vox etiam legentes ple rosque fallere.

14. *Infans.]* Mutus: vide Gell. v. 9.

15. *Caput arsisse.]* Harl. 2. exar sissee.

16. *Qui se tradit ita quieti.]* Qui se tradit quieti ita affectum ut sit praeparatus ejus animus—. Vocabulm *ita* delevit Davisius, frustra; quam servant nostri omnes. Pro vulg. tradet autem scripsi *tradit*, id quod jam in Davisiana secunda factum quidem est, etsi nihil de mutato tempore ipse monet. Nam plane necessario aut *tradit* aut *tradidit* scribendum fuisse censeo.

17. *Bonis cogitationibus.]* Supra c. 29., “Ea parte animi, quae mentis et consilii est, agitata et erecta, saturataque *bonarum cogitationum epulis.*”

in somnis : sic castus animus purusque vigilantis, et ad astrorum, et ad avium, reliquorumque signorum, et ad extorum veritatem<sup>18</sup> est paratior.

LIV. Hoc nimis est illud, quod de Socrate accepimus, quodque ab ipso in libris Socraticorum saepe dicitur, Esse divinum quiddam, quod δαιμόνιον appellat, cui semper ipse paruerit, numquam impellenti, saepe revocanti. Et Socrates quidem (quo quem auctorem meliorem quaerimus?) Xenophonti consulenti, sequereturne Cyrus<sup>19</sup>; postea quam exposuit quae sibi videbantur, *Et nostrum quidem, inquit, humanum est consilium; sed de rebus et obscuris et incertis ad Apollinem censeo referendum*: ad quem etiam Athenienses publice de majoribus rebus semper retulerunt. Scriptum est item, quum Critonis sui familiaris oculum adligatum<sup>20</sup> vidisset, quaevisisse quid esset: quum autem ille respondisset, in agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum suum recidisse: tum Socrates, "Non enim<sup>21</sup> paruisti mihi revocanti, quum uterer, qua soleo, praesagitione divina." Idem etiam Socrates, quum apud Delium male<sup>22</sup> pugnatum esset Lachete praetore, fugeretque cum ipso Lachete; ut ventum est in trivium, eadem qua ceteri fugere noluit: quibus quaerentibus, cur non eadem via pergeret, deterreri se a deo dixit. Tum quidem ii qui alia via fugerant, in hostium equitatum inciderunt. Per multa collecta sunt ab Antipatro, quae mirabiliter a Socrate divinata sunt<sup>23</sup>: quae<sup>24</sup> praetermittam; tibi

18. *Ad astrorum . . . veritatem.*] Puta consequendam.

19. *Sequereturne Cyrus.*] Codices fere *sequereturne Epicurum*, unde Camerarius *sequereturne et ipse Cyrus.*

20. *Adligatum.*] Sic etiam *Tusc.* ii. 16., ubi confert Dav. *Liv.* vii. 24., ad quem plura J. Fr. Gronov.

21. *Non enim paruisti.*] Quasi jam dixisset, *Non mirum, vel merito;* id quod elegantius reticetur.

22. *Male pugnatum.*] Cf. *Sallust.* *B. J.* 114., "Per idem tempus adversum Gallos . . . male pugnatum." Infra ii. 25., *mala pugna.*

23. *Per multa collecta sunt . . . , quae . . . divinata sunt.*] An *quae . . . div. sint?* Cf. *Varr. de L. L.* p. 99., "In aliis bina sunt, quae sint ab eadem voce declinata." *Collecta autem pro conjecta recte emendabat Victor-*

*rius; cui nunc etiam codd. aliquot addicunt.*

24. *Quae . . . divinata sunt: quae praetermittam.*] Parum Hottingero placet duplex relativum: at cf. infra ii. 44., "Illi orbes, qui . . . definiunt, qui . . . nominantur." et c. 54., "Sibyllae versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur: *quorum* interpres nuper—." et c. 72., "Philosophi . . . , qui prope jam absoluti et perfecti putantur: *quorum* licentiae nisi Carneades restitisset, . . . Cum quibus omnis fere nobis disceptatio contentioque est." *N. D.* iii. 27., "Iis solis consuluit, quos bona ratione donavit; quos videmus . . . esse per paucos." Adde de *Leg.* i. 9. § 27., iii. 17. § 38., de *Off.* ii. 23. § 81., de *Senect.* 17. § 59., apud Orell. in *Praelect. Wolfian.* ad *Tusc.* i. 25. § 61.

enim nota sunt, mihi ad commemorandum non necessaria<sup>25</sup>. Illud tamen ejus philosophi magnificum ac paene divinum, quod, quum impiis sententiis damnatus esset, aequissimo animo se dixit mori: neque enim domo egredienti, neque illud suggestum, in quo causam dixerat<sup>26</sup>, adscendentि, signum sibi ullum, quod consuisset, a deo quasi mali alicujus impendens datum.

**LV.** Evidem sic arbitror, etiam si multa fallant eos, qui aut arte aut conjectura divinare videantur, esse tamen divinationem: homines autem ut in ceteris artibus, sic in hac posse falli. Potest accidere, ut aliquod signum dubie datum, pro certo sit acceptum: potest aliquod latuisse, aut ipsum, aut quod esset illi contrarium. Mihi autem ad hoc, de quo dispuo, probandum satis est, non modo<sup>27</sup> plura, sed etiam pauciora, divine praesensa et praedicta reperiri. Quin etiam hoc non dubitans dixerim: si unum aliquid ita sit praedictum praesensumque, ut, quum evenerit, ita cadat ut praedictum sit, neque in eo quidquam casu et fortuito factum esse adpareat, esse certe divinationem, idque esse omnibus confitendum. Quocirca primum mihi videtur, ut Posidonius facit, a deo, de quo satis dictum est, deinde a fato, deinde a natura, vis omnis divinandi ratione repetenda. Fieri igitur omnia fato, ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Graeci οὐαρπένην, id est, ordinem seriemque causarum, quum<sup>28</sup> causa causae nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna. Quod quum ita sit, nihil est factum quod non futurum fuerit: eodemque modo nihil est futurum, cuius non causas id ipsum efficientis natura contineat. Ex quo intellegitur, ut<sup>29</sup> fatum sit non id quod superstitiose, sed id quod physice<sup>30</sup> dicitur, causa

25. *Mihi ad commemorandum non necessaria.*] Mira Latinitas videtur: tamen cf. illud, ep. I. ad Brut., "Multā ejus indicia; sed ad scribendum non necessaria."

26. *In quo causam dixerat.*] Cod. unus Moseri dixerit: sed Socratis verbis sua admisces Quintus; q. d., neque suggestum (illud, in quo causam dixerat) adscendentī.

27. *Non modo plura, sed etiam pauciora.*] Particulam modo delet Harl. 2., eamque jam suspectam habuit Rathius, frustra. Intellige—non dico plura, sed etiam pauciora. Cf. N. D. i. 22., "Epicurus... quid dicit quod non modo philosophia dignum esset, sed mediocri prudentia?" In Pison. 13., "Quis vos, non modo consules, sed liberos fuisse putet,

quorum mens fuerit oppressa praemio, lingua adstricta mercede?" Pro Lege Munil. 22., "Quae civitas est in Asia, quae non modo imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit." Adde in Caecil. 18., in Pis. 9., Phil. vi. 5., ad Att. i. 11., Tusc. ii. 5.

28. *Quum causa causae nexa... gignat.*] De particula quum vide ad de Fato c. 10. Item de nomine germinato *causa causae nexa*, vide ad c. 4. ibid.

29. *Intellegitur, ut fatum sit.*] Cf. de Fin. v. 26, "Si Stoicis concedis, ut virtus sola... vitam efficiat beatam." apud Moserum.

30. *Id quod physice dicitur.*] Cf. N. D. iii. 7., "Quae a te physice dicta sunt." ubi male Heindorius, et

aeterna rerum, cur et ea quae praeterierunt, facta sint, et quae instant, fiant, et quae sequuntur, futura sint. Ita fit, ut et <sup>31</sup> observatione notari possit, quae res quamque causam plerumque consequatur, etiam si non semper: nam id quidem adfirmare difficile est. Easdemque causas verisimile est rerum futurarum cerni ab iis, qui aut per furorem eas aut in quiete videant.

**LVI.** Praeterea quum fato omnia fiant, (id quod alio loco ostendetur <sup>32</sup>) si quis mortalis <sup>33</sup> possit esse qui colligationem causarum omnium perspiciat animo, nihil eum profecto fallat: qui enim teneat causas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat quae futura sint. Quod quum nemo facere <sup>34</sup>, nisi deus, possit; relinquendum est homini, ut signis quibusdam consequentia declarantibus futura praesentiat. Non enim illa quae futura sunt, subito existunt; sed est, quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis nihil novi efficientis et primum quidque replicantis. Quod et ii vident, quibus naturalis divinatio data est, et ii quibus cursus rerum observando notatus est: qui etsi causas ipsas non cernunt, signa tamen causarum et notas cernunt: ad quas, adhibita memoria et diligentia, ex monumentis superiorum efficitur ea divinatio quae artificiosa dicitur, extorum, fulgurum, ostendorum signorumque coelestium. Non est <sup>35</sup> igitur ut mirandum sit, ea praesentiri a divinantibus quae nusquam sint: sunt enim omnia, sed tempore absunt <sup>36</sup>. Atque ut in seminibus vis inest earum rerum, quae ex iis pro-

cum eo Moserus, *physice* pro vocabulo accipit; nullus enim ibi quidem irrisio locus est.

**31. Ita fit, ut et observatione—.]** Recte Moserum opinor etiam de hoc loco judicare, ut supra c. 53., non et pro etiam positum esse, sed anacoluthon potius in illis infra agnoscendum esse, *easdemque causas* etc., pro et *eaedem causae* rerum futurarum cernantur etc. Davisius vero codd. suos sequutus delevit *et*.

**32. Id quod alio loco ostendetur.]** Id tamen nusquam alibi ostendit.

**33. Si quis mortalis.]** Veteres editi nonnulli *si quis modo talis*. Infra *fallat*, h. e. paterit fallere.

**34. Quod quum nemo facere, n. d., possit.]** Delet facere Harl. 1., sicuti etiam Moseri Cod. S, qui quidem in aliis libris id non uno modo mutare locum deprehendit.

**35. Non est igitur ut mirandum sit—.]** Cf. *pro Mū.* 13., “Quid enim

odisset Clodium Milo? . . . Ille erat ut odisset defensorem salutis meae.” Alia hujus circumlocutionis exempla videas apud Forcellinum. Omnino autem praeter rem conferunt Hottinger. et Moserus *Cic. de Off.* ii. 24., “Quamobrem, ne sit aes alienum, quod rei publicae noceat, providendum est, quod multis rationibus caveri potest; non, si fuerit, ut locupletes suum perdant, debitores lucentur alienum.” ubi nequaquam jungendum fuerit *ut . . . perdant*, sed omnibus nisi doctissimis in promitu est sic intelligere: non, si fuerit aes alienum, lege sanciendum est, ut creditores, quia locupletes sint, suum perdant, debitores lucentur alienum.

**36. Sunt enim omnia, sed tempore absunt.]** Ad h. l. Meyerus apud Moserum: “Plus videt, ut saepius, quam scit. Coram deo sunt omnia; homo ea nonnisi temporis successione intueri et contemplari potest.”

gignuntur: sic in causis conditae sunt res futurae, quas esse futuras aut concitata mens, aut soluta<sup>37</sup> somno, cernit; aut ratio, aut conjectura praesentit. Atque ut ii qui solis et lunae reliquorumque siderum ortus, obitus, motusque cognorunt, quo quidque tempore eorum futurum sit, multo ante praedicunt: sic qui cursum rerum eventorumque consequentiam diurnitate pertractata<sup>38</sup> notaverunt, aut semper, aut, si id difficile est, plerumque; quod si ne id quidem conceditur, nonnumquam certe, quid futurum sit, intellegunt. Atque haec quidem, et quaedam hujusmodi argumenta, cur sit divinatio, ducuntur a fato.

LVII. A natura autem alia quaedam ratio est; quae docet, quanta sit animi vis sejuncta a corporis sensibus: quod maxime contingit aut dormientibus, aut mente permotis. Ut enim deorum animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt inter se quid quisque sentiat: ex quo fit ut homines, etiam quum taciti optent quid aut voveant, non dubitent quin dii illud exaudiant; sic animi hominum, quum aut somno soluti vacant corpore, aut mente permoti<sup>39</sup> per se ipsi liberi incitati moventur, cernunt ea, quae permixti cum corpore animi videre non possunt. Atque hanc quidem rationem naturae difficile est fortasse traducere ad id genus divinationis, quod ex arte profectum dicimus: sed tamen id quoque rimatur, quantum potest<sup>40</sup>,

37. *Soluta somno.] Infra c. 57., “animi hominum, quum somno soluti vacant corpore.”*

38. *Pertractata notaverunt.] I. e. pertractarunt notaveruntque.*

39. *Aut mente permoti.] Quid sint animi hominum mente permoti, se quidem fugere ait Davisius, et censem rescribendum aut in mente permotis. At nimis morose cum Cicerone suo agit vir doctus: qui quidem etiam supra c. 49. frustra reponere vult vigilantium animi pro eo quod scripsit Tullius vigilantes animi. Conf. N.D. ii. 38., “Sed assiduitate quotidiana et consuetudine oculorum adsuescunt animi, neque admirantur neque requirunt rationes earum rerum quas semper vident.” ubi vide. Adde Sallust. Jug. 71., “Deinde, uti aegrum animum solet, somnus cepit.” (Poenitet autem me olim Coratio assensum esse, aegrum animi reponenti.) Horat. Serm. i. 4. 17., “Dì bene fecerunt, inopis me quodque pusilli Finixerunt animi, raro et per-*

pauca loquentis.” Hottingerus vero, e superioribus adsumens homines, nullo prorsus modo sensum loci expedit: nam profecto homines dormientes non vacant corpore, sed semper homo ex corpore et animo constat; nec dici possunt homines per se ipsi liberi incitati moveri. Nam quid sit homines per se ipsi? quid homines liberi? quid homines incitati? quid homines moventur? Nihil hic hominibus, sed omnia utique animis hominum accommodata. Conf. illud supra c. 56., “Sic in causis conditae sunt res futurae; quas esse futuras aut concitata mens, aut soluta somno, cernit.” Conf. etiam ii. 48. extr., “Si aut furore divino incitatus animus aut somno relaxatus, solute moveatur ac libere.” Jam vero quod infra scribit, “cernunt ea quae permixti cum corpore animi videre non possunt;” poterat sane vox animi abesse, si quidem jam de animis hominum sermo est, sed nec sine vi addita est vox illa, et exempla rei

Posidonius. Esse censem in natura signa quaedam rerum futurarum. Et<sup>41</sup> enim Ceos accepimus ortum Caniculae diligenter quotannis solere servare, conjecturamque capere, ut scribit Ponticus Heraclides, salubrisne an pestilens annus futurus sit: nam si obscurior et quasi caliginosa stella extiterit, pingue et concretum esse coelum; ut ejus adspiratio gravis et pestilens futura sit: sin illustris et perlucida stella adparuerit, significari coelum esse tenue purumque, et propterea salubre. Democritus autem censem sapienter instituisse veteres, ut hostiarum immolatarum inspicerentur exta, quorum ex habitu atque ex colore tum salubritatis, tum pestilentiae signa percipi<sup>42</sup>; nonnumquam etiam quae sit vel sterilitas agrorum vel fertilitas futura. Quae si a natura profecta, observatio atque usus agnovit; multa adferre potuit dies<sup>43</sup>, quae animadvertiscuntur: ut ille Pacuvianus, qui in Chryse<sup>44</sup> physicus inducitur, minime naturam rerum cognoscere videatur:

— Nam istis<sup>45</sup>, qui linguam avium intellegunt,  
Plusque ex alieno jecore sapiunt, quam ex suo,  
Magis audiendum, quam auscultandum, censeo.

Cur quae? quum ipse<sup>46</sup>, paucis interpositis versibus, dicas satis luculente:

concessit Wopkens. (in *Misc. Obs.*) ad *Justin.* ix. 6.; cuius etiam alia quaedam adhibui ad *N. D.* iii. 11. extr.— Pro liberi scripsere nuper editores e conj. Rathii libere. At nihil agit Rathius, conferens locum infra ii. 48. (jam allatum): quippe ut istic *solute* et *libere*, sic hoc loco *soluti* et *liberi* pariter incedunt.

40. *Rimatur, q. p., Posidonius. Esse censem—.*] Ita distinxit Schuetzius, quum male alii post *potest* plenam distinctionem, alii interrogandi notam ponerent.

41. *Et enim.*] Conjecit P. Manut., e codd. edidit Dav., pro *Ut enim. Infra obscurior et quasi,* recte e codd. copulam addidit Dav.

42. *Quorum ex habitu... percipi.*] Quorum ex habitu... percipiuntur, vel *horum enim ex habitu... percipi.* Conf. *N. D.* i. 17. extr., “Intelligitur enim, a beata immortalique natura et iram et gratiam segregari: quibus remotis, nullos a superis im-

*pendere metus.” Democrito autem respondet Marcus ii. 13.*

43. *Multa adferre potuit dies.]* Contulit Moserus ad *Fam.* v. 36., “Certe nos, quod est *dies allatura*, id consilio anteferre debemus.” Adde *Liv.* xlvi. 50., “*Multa diem tempusque afferre posse.*”

44. *Qui in Chryse.]* Harl. omnes *Chrys.*

45. *Nam istis... magis audiendum, quam auscultandum censeo.]* Recipientiam putavit Hottinger. cod. Balliol. lectionem *istos*; non dici enim *audire cui*, sed *quem*. Nimis ille sollicite: et melius aliquanto judicat Moserus, constructionem esse paullo liberorem et negligentiores ad sensum; ut dicere voluerit simpliciter, *Nam istis quidem non auscultandum censeo;* postea vero procedente oratione placuisse mitigare sententiam, *magis audiendum quam auscultandum.*

46. *Quum ipse... dicas.]* Nempe ipsum illum physicum alloquitur.

Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat,  
Sepelit, recipitque in sese omnia, omniumque idem est pater ;  
Indidemque eademque <sup>47</sup> oriuntur de integro, atque eodem occidunt.

Quid est igitur, cur <sup>48</sup>, quum domus sit omnium una, eaque communis, quumque animi hominum semper fuerint futurique sint, cur ii, quid ex quoque eveniat et quid quamque rem significet, perspicere non possint ? Haec habui, inquit, de divinatione quae dicerem.

LVIII. Nunc illa <sup>49</sup> testabor, non me sortilegos, neque eos, qui quaestus causa hariolentur, ne psychomantia quidem, quibus Appius amicus tuus uti solebat, agnoscere : *Non habeo denique <sup>50</sup> nauci Marsum augurem, non vicanos haruspices, non de circo astrologos <sup>50</sup>, non Isiacos conjectores, non interpretes somniūm.* Non enim sunt ii aut scientia aut arte divini.

Sed superstitionis vates, impudentesque harioli,  
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat :  
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam :  
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsi petunt.  
De his divitiis sibi deducant drachmam, reddant <sup>51</sup> cetera.

Atque haec quidem Ennius, qui paucis ante versibus esse deos censem <sup>52</sup>, sed eos non curare opinatur, quid agat humānum genus. Ego autem, qui et curare arbitror, et monere etiam, ac multa praedicere ; levitate, vanitate, malitia exclusa <sup>53</sup>,

47. *Eademque.]* Scripsit Dav. e codd. pro *eadem*, *quae* ; quomodo etiam olim correxit Gulielmus.

48. *Quid est igitur cur, quum—.]* Infra iteratur particula *cur* per epaulepsin ; frustra autem prius *cur* delevit Davisius.

49. *Nunc illa testabor.]* Vult Rathius quidem *illud* : sed potest *illa* Graecorum morem sequi. Cf. *Virg. Aen.* i. 667., “Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum Litora jactetur . . . Nota tibi.”

50. *Non habeo denique nauci—.]* Studet Davisius haec violentius paulo in versus cogere. Sed certe vox *denique* non videtur esse poētae : et ex hac interposita credibile fit, Cic.,

neglectis versibus, haec quidem continuo orationi suae aptasse. Jam illa enim, “Non enim sunt ii aut scientia aut arte divini,” nec colorem ullum poēticum habent, et oportet ea omnes istos jam a principio, sortilegos, quaestus causa hariolantes, psychomantiam exercentes, respicere.

51. *Deducant . . . reddant.]* Fortasse *reddunt vel reddent*.

52. *Esse deos censem.]* Versus vide infra ii. 50., *de N. D.* iii. 32.

53. *Malitia exclusa.]* Harl. omnes, omnes Palatini, ex reliquis plures, *exclusam*. Fortasse *malitia exclusa, ipsam divinationem probo*.

divinationem probo. Quae quum dixisset Quintus, Praeclare  
tu quidem, inquam, paratus<sup>54</sup> \* \* \*

*Desunt pauca quaedam.*

54. *Praeclare tu quidem, inquam, paratus.*] Harl. I. *parate.* Cf. *Brut.* 68., "Is tamen ad dicendum veniebat magis audacter, quam *parate.*" Ergo fortasse lacuna potest expleri

sic: *Praeclare tu quidem, inquam, [parate. Quod utinam sim ego quoque pariter ad respondendum] paratus!*

**EXPLICIT LIB. I.**

M. TULLII CICERONIS

# DE DIVINATIONE

LIBER SECUNDUS.

---

I. QUAERENTI mihi multumque<sup>1</sup> et diu cogitanti, qua iam re possem prodesse quam plurimis<sup>2</sup>, ne quando intermitterem consulere reipublicae; nulla major occurrebat, quam si optumarum artium vias<sup>3</sup> traderem meis civibus: quod compluribus jam libris me arbitror consequutum. Nam et cohortati sumus, ut<sup>4</sup> maxume potuimus, ad philosophiae studium eo libro qui est inscriptus Hortensius: et quod genus philosophandi minime adrogans, maxumeque et constans et elegans arbitraremur, quatuor Academicis libris ostendimus. Quumque fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum et malorum, perpurgatus est is locus<sup>5</sup> a nobis quinque libris, ut, quid a quoque et quid contra quemque philosophum diceretur, intellegi posset. Totidem subsequuti libri Tusculanarum disputationum<sup>6</sup> res ad beate vivendum maxima necessarias ape-

1. *Quaerenti mihi multumque et diu cogitanti.]* Ordinem verborum mutari volebat Davisius *Q. m.que et d. cogitanti mihi*, frustra. Adverbium autem *multum* ad utrumque et *quaerenti* et *cogitanti* arbitror pertinere: cf. *Sallust. Catil.* 53., "Sed mihi legenti multaque audienti, . . . forte lubuit attendere—." vide nos ibi, item ad *Cic. N. D.* iii. 2.; adde supra i. 43., et 49.; infra c. 64.

2. *Prodesse quum plurimis.]* Id demum homine dignum est, quoniam, ut praecclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem amici: *de Off.* i. 7.

3. *Optumarum artium vias.]* Cf. *de Leg.* i. 6., "Qui aliter jus civile tradunt, non tam justitiae, quam litigandi tradunt vias." et *ad Q. Fr.* i. 1. 5., "Omnes vias pecuniae norunt."

4. *Ut maxume potuimus.]* Exempla particulae *ut pro quam cum superlativis* vide *Cic. Partit.* 37., *pro Cluent.* 26., *de Fin.* v. 4., *de Leg.* ii. 14.

5. *Is locus.]* Cf. i. 4. s. f. Harl. 2. *hic locus.*

6. *Libri Tusc. disp.]* Harl. 1. *Tusc. quaestionum;* at secundus nude libri *Tusculanarum.*

ruerunt: primus enim est de contemnenda morte; secundus de tolerando<sup>7</sup> dolore; de aegritudine lenienda tertius; quartus de reliquis animi perturbationibus; quintus eum locum complexus est qui totam philosophiam maxime illustrat: docet enim, ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam. Quibus rebus<sup>8</sup> editis, tres libri perfecti sunt de Natura Deorum, in quibus omnis ejus loci quaestio continetur: quae ut plene esset cumulateque perfecta, de Divinatione ingressi sumus his libris scribere; quibus (ut est in animo) de Fato si adjunixerimus, erit abunde satisfactum toti huic quaestioni. Atque his libris adnumerandi sunt sex de Republica, quos tunc scripsimus quum gubernacula reipublicae tenebamus: magnus locus<sup>9</sup> philosophiaeque proprius, a Platone, Aristotele, Theophrasto, totaque Peripateticorum familia<sup>10</sup> tractatus uberrume. Nam quid ego de Consolatione dicam? quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur; ceteris item<sup>11</sup> multum illam profuturam puto. Interjectus est etiam nuper liber is, quem ad nostrum<sup>12</sup> Atticum de Senectute misimus. In primisque, quoniam philosophia vir bonus efficitur et fortis, Cato noster in horum librorum numero ponendus est. Quumque Aristoteles itemque Theophrastus, excellentes viri quum subtilitate tum copia, cum philosophia dicendi etiam praecepta conjunxerint; nostri quoque oratorii libri in eumdem librorum<sup>13</sup> numerum referendi videntur. Ita tres<sup>14</sup> erunt de Oratore; quartus, Brutus; quintus, Orator.

II. Adhuc haec erant: ad reliqua alaci<sup>15</sup> tendebamus animo; sic parati, ut, nisi quae causa gravior obstitisset, nullum philosophiae locum esse pateremur qui non Latinis literis illus-

7. *De tolerando dolore.]* Harl. 1. *de tollendo d.*

8. *Quibus rebus editis.]* Quibus de rebus quum libros edidisse. Frusta Dav. ex uno *quibus libris*.

9. *Magnus locus.]* Appositio est, ab illis *sex de Rep.* pendens: Cf. *N. D.* ii. 29.

10. *Peripateticorum familia.]* Harl. 2. *schola*, ab interprete: cf. *de Fin.* iv. 18., "Aristoteles, Xenocrates, tota illa *familia*, non dabit."

11. *Mihī . . . sane aliquantum . . . , ceteris item multum—.]* Pro item omnino scribendum censem Davisius autem: nimimum adverbio *aliquantum* frustra iste vim tribuebat diminutivam.

12. *Quem ad nostrum A. de S. mi-*

*simus.]* Harl. 1. *ad Att. nostrum*; 2. q. *ad A. scripsimus de S..*

13. *In eumdem librorum numerum.]* Addidi vocem *librorum* ex codd. pluribus (etiam Harl. 1. et 3.) et probante Davisio.

14. *Ita tres erunt—.]* Harl. 1. *tres omnes de O.* Desiderabat librarius aliquid hujusmodi: *Ii autem* (sc. oratorii) *erunt—tres omnes de O., quartus B, quintus O.*

15. *Alaci tendebamus animo.]* Harl. 2., sicuti duo Moseri, *alaces*; quod si verum est, distinguendum arbitror, *alaces tendebamus, animo sic parati, ut—*. Quamquam jungi posset etiam *tendebamus animo*. Mox scribit Harl. 1. *obstetisset*.

tratus pateret. Quod enim munus reipublicae adferre majus meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem? his<sup>16</sup> praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa<sup>17</sup> est, ut omnium opibus refrenanda atque<sup>18</sup> coērcenda sit. Nec vero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adulescentes se ad haec studia convertant: pauci utinam! quorum tamen in re publica<sup>19</sup> late patere poterit industria. Evidem ex iis etiam fructum capio laboris mei, qui jam aetate provecti in nostris libris adquiescunt: quorum studio legendi<sup>20</sup> meum scribendi studium vehementius in dies incitatur: quos quidem plures, quam rebar, esse cognovi. Magnificum illud etiam, Romanisque hominibus gloriosum, ut<sup>21</sup> Graecis de philosophia literis non egeant: quod adsequar profecto, si instituta perfecero. Ac mihi quidem explicandae philosophiae causam<sup>22</sup> adulit casus gravis civitatis, quum in armis civilibus nec tueri meo more rempublicam, nec nihil agere poteram, nec, quid potius, quod quidem me dignum esset, agerem, reperiebam. Dabunt igitur mihi veniam mei cives; vel gratiam potius habebunt, quod, quum esset in unius potestate respublika, neque ego me abdidi, neque deserui<sup>23</sup>, neque adfuxi, neque ita gessi, quasi homini<sup>24</sup> aut temporibus iratus;

16. *His praesertim moribus—.*] Cf. *Sallust. Jug.* 4., “At contra, quis est omnium *his* moribus, quin—?”

17. *Prolapsa est.]* Cf. *pro Cael.* 20., “Huc unius mulieris lubido est prolapsa, ut—.”

18. *Refrenanila atque coērcenda.]* Scripsi *atque* pro *ac* ex *Harl.* 1. et 3. et veteribus editis: in *Harl.* 2. autem duo verba *atque coērcenda* exciderunt.

19. *In re publica late patere.]* Qui tamen etiam rei publicae simul industriam suam magna ex parte poterunt adhibere. Exemplum insigne est ipse Cicero.

20. *Quorum studio legendi—.]* *Harl.* 1. delet *legendi*. Secundus autem sic scribit, *quorum studium legendi vehementius incitatur*, nihil amplius. Ceterum conf. *N. D.* i. 4., “Sentio quam multorum non modo discendi sed etiam scribendi studia commoverim.” et *de Off.* ii. 1., “Quamquam enim libri nostri complures non modo ad legendi sed etiam ad scribendi studium excitavereunt.”

21. *Magnificum illud etiam, . . . ut . . . non egeant.]* Contulit Moser illud i. 54., “*Illud* tamen ejus philosophi magnificum ac paene divinum, *quod . . .* aequissimo animo se dixit mori.” At hoc loco, quo minus *ut pro quod* positum dicas, obstat quod nondum plane effectum erat ut Romani non egerent Graecorum de philosophia scriptis. Atque equidem arbitror, Ciceronem, quum particulam *ut* poneret, verbum *adsequar* quodammodo animo prospexisse. Quamquam fortasse nihil est cur non *illud . . . ut*—simpliciter de proposito Ciceronis interpreteris. Ceterum ad rem conf. *Tusc.* ii. 2., “Quod si haec studia traducta erunt ad nos-tros, ne bibliothecis quidem Graecis egebimus.”

22. *Causam adulit.]* Conf. de *N. D.* i. 4., *de Off.* ii. 1.—*Casus gravis:* sic adjективum postponunt *Harl.* 1. et 3., quatuor Moseri.

23. *Neque ego me . . . deserui.]* Neque a constantia mea descivi.

24. *Quasi homini . . . iratus.]* I. e. cuiquam hominum; vide *Cortium* ad

neque porro ita aut adulatus aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meae<sup>25</sup> poeniteret: id enim ipsum a Platone philosophiaque<sup>26</sup> didiceram, naturalis esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis. Quod quum accidisset nostrae reipublicae, tum pristinis orbati muneribus, haec studia renovare<sup>27</sup> coepimus, ut et animus molestiis hac potissimum re levaretur, et prodessemus civibus nostris, qua re cumque possemus. In libris enim sententiam dicebamus, concionabamur, philosophiam nobis pro rei publicae procuratione substitutam putabamus. Nunc, quoniam de re publica consuli<sup>28</sup> coepti sumus, tribuenda est opera reipublicae, vel omnis potius in ea cogitatio et cura ponenda: tantum huic studio relinquendum, quantum vacabit<sup>29</sup> a publico officio et munere. Sed haec alias pluribus: nunc ad institutam disputationem revertamur.

III. Nam quum de divinatione Quintus frater ea disseruissest quae superiore libro scripta sunt, satisque ambulatum videretur, tum in bibliotheca, quae in Lyceo est, adsedimus. Atque ego, Adcurate tu quidem, inquam, Quinte, et Stoice, Stoicorum sententiam defendisti: quodque me maxime delectat, plurimis nostris<sup>30</sup> exemplis usus es, et iis quidem claris et illustribus. Dicendum est<sup>31</sup> mihi igitur ad ea quae sunt a te dicta, sed ita, nihil ut<sup>32</sup> adfirmem, quaeram omnia, dubitans plerumque et mihi ipse diffidens: si enim aliquid certi haberem quod dicere, ego ipse divinarem<sup>33</sup>, qui esse divinationem nego. Et

*Sallust. Catil. 33.*, "Nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum homini faceremus." Nempe non de Caesare solummodo accipio.

25. *Ut me meae poeniteret.*] Harl. 2. *mei*, quod etiam edidit Gruterus, frustra.

26. *A Platone philosophiaque.*] Conf. similem conjunctionem apud *Varr. de L. L.* p. 101., "contra analogiam atque Aristarchum." Platonis autem locum indicavit Davisius, lib. viii. *de Rep.* p. 492. Vide etiam Nostrum *de Rep.* i. 29.

27. *Haec studia renovare coepimus.*] Cf. *Tusc.* i. 1., "Quum defensionum laboribus senatoriisque munieribus . . . essem aliquando liberatus, retuli me . . . ad ea studia, quae, retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi." adde *de Off.* ii. 1. s. f. Infra ed. Dav. mendose possumus.

28. *De re publica consuli coepti sumus.*] Nempe occiso Caesare.

29. *Tantum . . . quantum vacabit.*] Cf. *de Off.* ii. I. extr., "Tantum erat philosophiae loci, quantum superfluerat amicorum et rei publicae temporibus."

30. *Pluribus nostris exemplis.*] Romanis, domesticis.

31. *Dicendum est mihi igitur—.*] Hoc ordine Harl. 3., Leidenses omnes, alii: Harl. 1. et 2., *D. e. i. m.* Davisius *D. m. i. e.*

32. *Nihil ut—.*] Cf. *de Orat.* i. 6., "Neque vero ego hoc tantum oneris imponam nostris praesertim oratoribus . . . nihil ut iis putem licere nescire." et iii. 13., "Ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum." adde *de Fin.* i. 10.

33. *Ego ipse divinarem.*] Contulit Hottinger. *Tusc.* i. 9., "Ea, quae vis

enim me movet illud, quod in primis Carneades quaerere solebat, Quarumnam rerum divinatio esset: earumne quae sensibus perciperentur? At eas quidem cernimus, audimus, gustamus, olfacimus, tangimus. Numquid ergo in his rebus est, quod provisione aut permotione<sup>34</sup> mentis magis quam natura ipsa sentiamus; ut<sup>35</sup> nescio qui ille divinus, si oculis captus sit, ut Tiresias fuit, possit, quae alba sint, quae nigra, dicere? aut, si surdus sit, varietatis vocum aut modos noscere? Ad nullam igitur earum rerum, quae sensu accipiuntur, divinatio adhibetur. Atqui ne in iis quidem rebus, quae arte tractantur, divinatione opus est. Et enim ad aegros, non vatis aut hariolos, sed medicos solemus adducere: nec vero qui fidibus aut tibiis uti volunt, ab haruspicibus accipiunt<sup>36</sup> earum tractationem, sed a musicis. Eadem in literis ratio est reliisque rebus, quarum est disciplina<sup>37</sup>. Num censes eos, qui divinare dicuntur, posse respondere, sol majorne quam terra sit, an tantus quantus videatur? lunaque suo lumine an solis utatur? sol, luna, quem motum habeant? quem quinque stellae, quae errare dicuntur? Nec haec, qui divini habentur, profitentur se esse dicturos; nec eorum quae in geometria describuntur, quae vera, quae falsa sint: sunt enim ea mathematicorum, non hariolorum.

IV. De illis vero rebus, quae in philosophia versantur, numquid est, quod quisquam divinorum aut respondere soleat aut consuli, quid bonum sit, quid malum, quid neutrum? Sunt enim haec propria<sup>38</sup> philosophorum. Quid de officio? num quis haruspicem consulit, quemadmodum sit cum parentibus, cum fratribus, cum amicis vivendum? quemadmodum utendum pecunia? quemadmodum honore? quemadmodum imperio? Ad sapientis haec, non ad divinos referri solent. Quid? quae a dialecticis aut physicis tractantur, num quis eorum divinare potest, unusne mundus sit an plures? quae sint initia rerum,

ut potero, explicabo, nec tamen quasi *Pythius Apollo*, certa ut sint et fixa, quae dixerim.

34. *Permotione.*] Frustra conjicit Camerarius *praenotione*: cf. i. 40.

35. *Ut nescio qui ille divinus.*—] Scripsi cum nuperis *ut pro aut, e conj.* Schelleri: deinde delevi quae male in vulgatis recepta est particulum. Haec autem continuo cum superioribus legenda sunt. Ceterum *ille divinus*: nempe cum quo agimus. Harl. 2. *ut fuit Tiresias.*

36. *Accipiunt earum tractationem.*] Cf. N. D. i. 11., “Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam.”

*de Orat. i. 25.*, “Si quis est, qui putet haec arte accipi posse.” *Tractationem:* modum eas tractandi: sic infra c. 5., “belli administrationem... conjectura assequetur?”

37. *Quarum est disciplina.*] Ad quas percipiendas disciplina adhibetur.

38. *Sunt enim haec propria philosophorum.*] Delet propria Harl. I., sicuti Moseri Cod. S. Potuit autem consulto omittere librarius, superiora illa respiciens, “sunt enim ea mathematicorum.” Mox consulit recte Dav. e codd., pro *consulit*.

ex quibus nascuntur<sup>39</sup> omnia? Physicorum est ista prudentia. Quomodo autem *mentientem*<sup>40</sup>, quem ψευδόμενον vocant, dissolvas; aut quemadmodum *soriti* resistas; (quem si necesse sit, Latino verbo liceat *Acervalem* adpellare: sed nihil opus est; ut enim ipsa *philosophia* et multa verba Graecorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est:) ergo haec quoque dialectici dicent<sup>41</sup>, non divini. Quid? quum quaeritur, qui sit optimus reipublicae status, quae leges, qui mores, aut utiles aut inutiles; haruspicesne ex *Etruria*<sup>42</sup> arcessentur, an principes statuent et delecti viri, periti rerum civilium? Quod si nec earum rerum, quae subjectae sensibus sunt, ulla divinatio est; nec earum, quae artibus continentur; nec earum, quae in *philosophia* disseruntur; nec earum, quae in re publica versantur; quarum rerum sit, nihil prorsus intellego. Nam aut omnium debet esse, aut aliqua ei materia danda est, in qua versari possit: sed nec omnium divinatio est, ut ratio docuit; nec locus nec materia invenitur, cui divinationem praeficere possimus: vide igitur, ne nulla sit divinatio.

V. Est quidam<sup>43</sup> Graecus volgaris in hanc sententiam versus,

Bene qui conjiciet<sup>44</sup>, vatem hunc perhibeo optimum.

Num igitur, aut quae tempestas impendeat, vates melius conjicit quam gubernator? aut morbi naturam acutius quam medicus, aut belli administrationem<sup>45</sup> prudentius quam imperator, conjectura adsequetur? Sed animadverti, Quinte, te caute et ab iis conjecturis, quae haberent artem atque prudentiam, et ab iis rebus, quae sensibus aut artificiis<sup>46</sup> perciperentur, abducere divinationem; eamque ita definire, Divinationem esse

39. *Ex quibus nascuntur omnia.*] Harl. 2. unde nascantur. Frustra haec Mosero suspecta sunt.

40. *Quomodo autem mentientem* —?] Puta syllogismum. Cf. *Acad.* iv. 29. s. f. Codices nonnulli mendose aut *ementientem*.

41. *Dialectici dicent.*] Harl. 2. dicunt; 1. dicuntur. Mox 1. et 2. quaeritur, quis.

42. *Haruspicesne ex Etruria arcessentur.*] Harl. 1. et Moseri cod. S. nude *aruspices* arcessentur; et suspicor voces *ex Etruria* ex i. 2. translatas esse; neque enim arbitror, Ciceronis temporibus, si haruspicibus opus esset, ex *Etruria* arcessendos fuisse. Harl. 1. statuerint.

43. *Est quidam Graecus volgaris...*

versus.] Delent *Graecus* Harl. I. et 3.; idque facile poterat abesse: secundus vero non habet *vulgaris*.

44. *Conjiciet . . . perhibeo.*] Versus Euripidis apud Plutarchum exstat: Μάντις γ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς.

45. *Belli administrationem.*] Supra c. 3., “Nec vero . . . ab haruspicibus accipiunt earum *tractationem*.”

46. *Quae sensibus aut artificiis perciperentur.*] I. e., verbis Orellii, quae sensibus ab unoquoque homine, aut ab artifice idcirco perciperentur quia probe calleret opificium suum. Nimis propere Moserus e conj. Herelii *quae sensibus ab arte vacuis*.

earum rerum praedictionem et praesensionem quae essent fortuitae. Primum eodem revolveris<sup>47</sup>: nam et medici et gubernatoris et imperatoris praesensio est rerum fortuitarum. Num igitur aut haruspex aut augur aut vates quis aut somnians melius conjecterit, aut e morbo evasurum aegrotum, aut e periculo navem, aut ex insidiis exercitum; quam medicus, quam gubernator, quam imperator? Atqui ne illa quidem divinantis esse dicebas, ventos aut imbris impendentis quibusdam praesentire signis: (in quo<sup>48</sup> nostra quaedam Aratea memoriter a te pronuntiata sunt) etsi haec ipsa fortuita sunt; plerumque enim, non semper, eveniunt. Quae est igitur, aut ubi versatur fortuitarum rerum praesensio, quam divinationem vocas? quae enim praesentiri aut arte aut ratione aut usu aut conjectura possunt, ea non divinis tribuenda<sup>49</sup> putas, sed peritis. Ita relinquitur, ut ea fortuita divinari possint, quae nulla nec arte nec sapientia provideri possunt: ut si quis M. Marcellum illum, qui ter consul fuit, multis annis ante dixisset naufragio esse peritum; divinasset profecto: nulla enim arte alia id nec sapientias cire potuisse. Talium ergo rerum, quae in fortuna positae sunt, praesensio, divinatio est.

VI. Potestne igitur earum rerum, quae nihil habent rationis quare futurae sint, esse ulla praesensio? quid est enim aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid eventus, nisi quum sic aliquid cecidit, sic evenit, ut vel non cadere atque evenire, vel aliter cadere atque evenire potuerit? quo modo ergo id quod temere fit, caeco casu et volubilitate<sup>50</sup> fortunae, praesentiri et praedici potest? Medicus morbum ingravescentem ratione pro-videt, insidias imperator, tempestatis gubernator: et tamen hi ipsi saepe falluntur, qui nihil sine certa ratione opinantur: ut agricola, quum florem oleae videt, bacam quoque se visurum putat: non sine ratione ille quidem; sed nonnumquam tamen fallitur. Quod si falluntur<sup>51</sup> ii, qui nihil sine aliqua probabili conjectura ac ratione dicunt; quid existumandum est de conjectura eorum, qui extis aut avibus aut ostentis aut oraculis aut somniis futura praesentiunt? Nondum dico quam haec signa nulla sint, fissum jecoris, corvi cantus, volatus aquilae, stellae trajectio, voces furentium, sortes, somnia, de quibus singulis dicam suo loco: nunc de universis. Quî potest provi-

47. *Eodem revolveris.*] Cf. *Acad.* iv. 6. extr., "Ita imprudens eo, quo minime vult, revolvitur."

48. *In quo—.*] Cf. *de Fato* 5. s. f.

49. *Ea non divinis tribuenda putas.*] Harl. 1. *tribuendum*: vide ad i.

32. *Infra Harl. 2. M. illum Marcellum.*

50. *Volubilitate fortunae.*] Contulit Moserus *pro Mil.* 26., "Vide quam sit . . . vaga volubilisque fortuna."

51. *Si falluntur ii.*] Si fit ut aliquando fallantur—. Infra Harl. 2. *futura praenuntiant.*

deri, quidquam futurum esse, quod neque causam habet ullam neque notam, cur futurum sit? Solis defectiones itemque lunae praedicuntur in multos annos ab iis, qui siderum cursus et<sup>52</sup> motus numeris persequuntur: ea praedicunt enim, quae naturae necessitas perfectura est. Vident ex constantissimo motu lunae, quando illa e regione<sup>53</sup> solis facta incurrat in umbram terrae, quae est meta noctis, ut eam obscurari necesse sit; quandoque eadem luna subjecta atque opposita soli, nostris oculis ejus lumen obscuret; quo in signo quaeque errantium stellarum quoque tempore futura sit, qui exortus quoque die signi alicujus aut qui occasus futurus sit. Haec qui ante dicunt, quam rationem sequantur, vides.

VII. Qui thesaurum inventum iri<sup>54</sup>, aut hereditatem venturam dicunt, quid sequuntur? aut in qua rerum natura inest, id futurum? Quod si haec eaque quae sunt ejusdem generis, habent aliquam talem necessitatem; quid est tandem, quod casu fieri aut forte fortuna<sup>55</sup> putemus? nihil enim est tam contrarium rationi et constantiae quam fortuna; ut mihi ne in deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu et fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet: sin certe eveniet, nulla fortuna est: est autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla praesensio est. Aut si negas esse fortunam, et omnia, quae fiunt quaeque futura sunt, ex omni aeternitate definita dicis esse fataliter; muta definitionem divinationis, quam dicebas praesensionem esse rerum fortuitarum. Si enim nihil fieri potest, nihil accidere, nihil evenire, nisi quod ab omni aeternitate certum fuerit esse futurum rato tempore; quae potest esse fortuna? qua sublata, qui locus est divinationi? quae a te fortuitarum rerum est dicta praesensio: quamquam dicebas, omnia, quae fierent futurave essent, fato contineri. Anile<sup>56</sup> sane et plenum superstitionis fati nomen ipsum; sed

52. *Siderum cursus et motus.*] Harl. 2. *cursus motusque*: plerisque autem libris desunt voces *cursus et*: cf. i. 11.

53. *E regione solis facta.*] Cf. N. D. ii. 40., *de Rep.* i. 14. extr. et 16. Harl. 2. *subjecta soli atque opposita.*

54. *Inventum iri.*] E conj. Lambini recepi cum Dav. et Orell., pro *inventurum*. Frustra Moser. de sententia Kayseri *qui te thesaurum inventurum aut hereditatem [venturam]: nam vox venturam quidem extra suspicionem est.* Ceterum intellige—*qui thesaurum ab aliquo inventum iri, aut hereditatem ad aliquem ven-*

*turam.*

55. *Forte fortuna.*] Cf. Terent. Phorm. v. 6. 1., "O fortuna! O fors fortuna!" ubi vide interpretes. Frustra codd. duo Davisii *fortunave.*

56. *Anile s. et plenum superstitionis.*] Cf. N. D. ii. 28., "superstitiones paene *aniles.*" et iii. 39., "superstitiose atque *aniliter.*" adde infra c. 15. et 60. Conjectura autem nescio cuius apud Lambinum, *Anilis sane plenum superstitionis*, miror equidem quomodo potuerit auribus cuiusquam bene Latinis se commendare.

tamen apud Stoicos de isto fato multa dicuntur, de quo alias : nunc quod necesse est.

VIII. Si omnia fato ; quid mihi divinatio prodest ? Quod enim is, qui divinat, praedicit, id vero<sup>57</sup> futurum est : ut ne illud quidem sciam quale sit, quod Deiotarum, familiarem nostrum et necessarium<sup>58</sup>, ex itinere aquila revocavit : qui nisi revertisset, in eo conclavi ei cubandum fuisset quod proxuma nocte corruit : ruina igitur oppressus esset. At id, neque si fatum fuerat, effugisset ; nec, si non fuerat, in eum casum incidisset. Quid ergo adjuvat divinatio ? aut quid est, quod me moneant<sup>59</sup> aut sortes, aut exta, aut ulla praedictio ? Si enim fatum fuit, classis populi Romani bello Punico primo, alteram naufragio, alteram a Poenis depressam interire ; etiam si triplum solistimum pulli fecissent L. Junio et P. Cludio consilibus, classes tamen interissent : sin, quum<sup>60</sup> auspiciis obtemperatum esset, interiturae classes non fuerunt ; non interierunt fato : voltis autem omnia fato : nulla igitur est divinatio. Quod si fatum fuit, bello Punico secundo exercitum populi Romani ad lacum Thrasimenum interire ; num id vitari<sup>61</sup> potuit, si Flaminius consul iis signis iisque auspiciis, quibus pugnare prohibebatur, paruisse ? Certe non<sup>62</sup> potuit. Aut igitur non fato interiit exercitus ; mutari enim fata non possunt ; aut, si fato, (quod certe vobis ita<sup>63</sup> dicendum est) etiam si obtemperasset auspiciis, idem eventurum fuisset. Ubi est igitur ista divinatio Stoicorum ? quae, si fato omnia fiunt, nihil nos admonere potest, ut cautiores<sup>64</sup> simus ; quoquo enim modo nos gesserimus, fiet tamen illud quod futurum est : sin autem id potest flecti, nullum est fatum : ita ne divinatio quidem, quoniam ea rerum futurarum<sup>65</sup> est : nihil autem est pro certo futurum, quod, potest aliqua procreatione accidere, ne fiat.

57. *Id vero futurum est.]* Cf. *Salust. Catil.* 37., “Sed urbana plebes, ea vero praeceps erat multis de causis.”

58. *Familiarem nostrum et necessarium.]* Ita ex duobus codicibus Davisius, quum alii scriberent nude *familiarem nostrum*, nude alii *necessarium nostrum* : quae turbatio ex incerta pronominis sede orta est.

59. *Moneant.]* Dedit e codd. Davisius, pro *moveant* : cf. c. 60. infra, “Quid est igitur cur, his hominibus consulens deus, somniis *moneat eos*—?”

60. *Sin, quum—.]* Particulam *quum* pro *si κακοφονιας* vitandae causa positam monet Kayserus.

61. *Num id vitari potuit.]* Harl. I. *vitare p.*, nempe Flaminius. Cf. *Salust. Jug.* 65., “Quod contumeliosum in eos foret, si *equites Romani* satellites Numidae traderentur.”

62. *Certe non potuit.]* Addidi cum Pearceo negandi particulam ; id quod res postulabat.

63. *Quod certe vobis ita dicendum est.]* Particulam *ita* delevit Davisius, frustra.

64. *Ut cautiores simus.]* Conjectit Davisius *tutiores*, frustra : cf. N. D. iii. 6., “Quid igitur juvat, aut quid adfert ad *cavendum*, scire aliquid futurum, quum id certe futurum sit ?”

65. *Rerum futurarum.]* Nempe certo.

**IX.** Atque ego ne utilem<sup>66</sup> quidem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam. Quae enim vita fuisse Priamo, si ab adulescentia scisset, quos eventus senectutis esset habiturus? Abeamus a fabulis: propiora videamus. Clarissimum hominum nostrae civitatis gravissimos exitus<sup>67</sup> in Consolatione collegimus. Quid igitur? Ut omittamus superiores; Marcone Crasso putas utile fuisse, tum quum maxumis opibus fortunisque florebat, scire, sibi, imperfecto Publio filio exercituque deleto, trans Euphratem cum ignominia et dedecore esse pereundum? An Cn. Pompeium censes, tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maxumarum rerum gloria, laetaturum fuisse, si sciret<sup>68</sup> se in solitudine Aegyptiorum<sup>69</sup> trucidatum iri, amissi exercitu: post mortem vero ea consequutura, quae sine lacrimis non possumus dicere? Quid vero Caesarem putamus<sup>70</sup>, si divinasset fore ut in eo senatu, quem majore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompeia, ante ipsius Pompeii simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissimis civibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita jaceret, ut ad ejus corpus non modo amicorum, sed ne servorum quidem quisquam accederet, quo cruciatu animi vitam acturum fuisse? Certe igitur ignoratio futurorum malorum, utilior est quam scientia. Nam illud quidem dici, praesertim a<sup>71</sup> Stoicis, nullo modo potest: Non isset ad arma Pompeius: non transisset<sup>72</sup> Crassus Euphratem: Non suscepisset bellum civile Cae-

66. *Ne utilem quidem.*] Cf. N. D. iii. 6.; adde dissertationem *Favorini* apud *Gell.* xiv. 1.

67. *Gravissimos exitus.*] Infra c. 47., “*Exitus* quidem omnium unus et idem fuit.”

68. *Si sciret se—.*] Dedit e codd. Davisius *sciret* pro *scisset*; estque significantius h. l. imperfectum: quasi dixisset Cicero, si scisset, . . . et quotidie exitum suum miserabilem ob oculos habuisset.

69. *In solitudine Aegyptiorum.*] I. e., in solitudine, vel solum atque ab omnibus desertum, *in Aegyptiis*, vel *apud Aegyptios*. Profecto latissimus est genitivi usus: cf. varia N. D. loca a nobis animadversa. Ceterum, dum obiter rem tangit Cicero, necesse non habuit id nimis sollicite significare, Pompeium utique jam in navela, priusquam littus attingeret, imperfectum esse. Ac sanus est locus: quare doctorum conjecturas omitto.

70. *Quid vero Caesarem putamus,*

... *quo cruciatu—.*] Epanalepsis est simul et anacoluthon. Contulit Davisius *de Off.* ii. 7., “*Quid enim censemus superiorem illum Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitum?*” et *pro Rosc. Am.* 17.; addit plura esse apud Hotomann. *Obs.* i. 18. In illo autem, *in curia Pompeia*, praetulit Orellius formam *Pompeiana*, sed non potuit nisi Suetonii exempla afferre.

71. *Praesertim a Stoicis.*] Praepositionem delevit Davisius, codd. quatuor sequutus: tueruntur Harl. 1. et 2. Sed, omissa illa, equidem tum *Stoicis* pro dativo potius acciperem; ut esset—*dici nullo modo potest Stoicis*, h. e. ex Stoicorum sententia: de quo dativi usu vide nos ad N. D. i. 28. extr., iii. 31. Sed potuit Cic. etiam de alio loquendi modo cogitare, *Nam illud quidem dicere, praesertim Stoicis, nullo modo licet.*

72. *Non isset . . . ; Non transisset—.*] Alio ordine duo Davisii, non

sar. Non igitur fatalis exitus habuerunt: voltis autem evenire omnia fato: nihil ergo illis profuisset divinare; atque etiam omnem fructum vitae superioris perdidissent. Quid enim possit iis esse laetum, exitus suos cogitantibus? Ita, quoquo se verterint Stoici, jaceat necesse est omnis eorum solertia<sup>73</sup>. Si enim id quod eventurum est, vel hoc vel illo modo potest evenire; fortuna valet plurimum: quae autem fortuita sunt, certa esse non possunt. Sin autem certum est, quid quoque de re quoque tempore futurum sit; quid est quod me adjuvent haruspices, quum res tristissimas portendi dixerunt<sup>74</sup>?

X. Addunt ad<sup>75</sup> extremum, omnia levius<sup>76</sup> casura, rebus divinis procuratis. Si enim nihil fit extra fatum, nihil levare re divina potest. Hoc sentit Homer<sup>77</sup>, quum querentem Jovem inducit, quod Sarpedonem filium a morte contra fatum eripere non posset. Hoc idem significat Graecus ille in eam sententiam versus,

Quod fore paratum est, id summum exsuperat Jovem<sup>78</sup>.

Totum omnino fatum etiam Atellanio versu jure mihi esse irrisum videtur; sed in rebus tam severis non est jocandi locus. Concludatur igitur<sup>79</sup> ratio: si enim provideri nihil potest futurum esse eorum quae casu fiunt, quia esse certa non possunt; divinatio nulla est: sin autem idcirco possunt provideri, quia certa sunt et fatalia; rursus divinatio nulla est: eam enim tu fortuitarum rerum esse dicebas. Sed haec fuerit nobis, tanquam levis armatura, prima orationis excursio; nunc comminus agamus, experiamurque si possimus cornua<sup>80</sup> commovere disputationis tuae.

*transisset . . . non isset*—: ut eadem qua supra serie res recenseantur; quam minutam diligentiam scioli cuiusdam esse recte judicat Hottinger.

73. *Solertia.*] Ita, simplici *l.*, scribunt nostri tres. Supra Harl. 3. *quid enim his esset laetum.*

74. *Quum . . . dixerunt.*] Sic recte, opinor, Harl. I. et 3., quatuor Mōseri; vulg. *dixerint.*

75. *Ad extremum.*] Tandem, deinde: sic saepe Cic.; vide Nizolum.

76. *Addunt . . . omnia levius* etc.] Haec utique refellendi causa memorat Cicerō. Itaque recte pergit: “*Si enim*—.” Cf. illud i. 54., “*Tum Socrates, Non enim parvisti mihi revocanti.*” Ac nihil necesse, opinor, cum Dav. scribere *Si autem*. Male

autem codd. nonnulli, item ed. Ven. 1471. *nihil levare divinatio potest.*

77. *Hoc sentit Homer.*] Iliad. xvi. 440. Conf. Minuc. Felic. Octav. 22. Harl. 1. *contra fatum a morte eripere.*

78. *Id summum exsuperat Jovem.*] Cf. Liv. ix. 4., “Pareatur necessitati, quam ne dii quidem superant.” Philemon apud Stobaeum p. 383., afferente Davisio, Δοῦλοι βασιλίων εἰσίν ὁ δὲ βασιλεὺς θεῶν. Ο θεὸς ἀνάγκης.

79. *Concludatur igitur ratio.*] Vocem igitur delevit Davisius, et solus Harl. 1. agnoscit: sed quomodo ea excidere potuerit, in aperto est.

80. *Cornua commovere disputationis tuae.*] Notabilis translatio.

XI. Duo enim genera divinandi esse dicebas, unum artificiosum, alterum naturale: artificiosum constare partim ex conjectura, partim ex observatione diurna: naturale, quod animus arriperet<sup>81</sup> aut exciperet extrinsecus ex divinitate; unde omnes animos haustos aut acceptos aut libatos haberemus. Artificiosae divinationis illa fere genera ponebas, extispicum, eorumque qui ex fulguribus ostentisque praedicerent, tum augurum, eorumque qui signis aut omnibus uterentur: omneque genus conjecturale in hoc fere genere ponebas. Illud autem naturale, aut concitatione mentis edi et quasi fundi<sup>82</sup> videbatur, aut animo per somnum sensibus et curis vacuo provideri. Duxisti autem divinationem omnem a tribus rebus, a deo, a fato, a natura. Sed tamen, quum explicare nihil posses, pugnasti commentitiorum exemplorum mirifica copia. De quo primum<sup>83</sup> hoc lubet dicere: hoc ego philosophi non esse arbitror, testibus uti, qui aut casu veri, aut malitia falsi fictique esse possunt. Argumentis et rationibus oportet, quare quidque ita<sup>84</sup> sit, docere, non eventis; iis praesertim, quibus mihi liceat non credere.

XII. Ut ordiar ab haruspicina, quam ego reipublicae<sup>85</sup> causa communisque religionis colendam censeo. Sed soli<sup>86</sup> sumus: licet verum exquirere sine invidia, mihi praesertim de plerisque dubitanti. Inspiciamus, si placet, exta primum. Persuaderi igitur cuiquam potest, ea quae significari dicuntur extis, cognita<sup>87</sup> esse haruspibus observatione diurna? Quam<sup>88</sup> diurna ista fuit? aut quam longinquo tempore observari potuit<sup>89</sup>, aut quo modo est collata<sup>90</sup> inter ipsos, quae pars inimica<sup>91</sup>,

81. *Quod animus arriperet . . . ex divinitate.*] Cf. *N. D.* iii. 11., "Quae-rit . . . Socrates, unde animam *arri-puerimus.*" et *pro Mil.* 4., "Lex, quam . . . ex natura ipsa *arripui-mus.*"

82. *Et quasi fundi.*] Cf. i. 18. et 50. extr.

83. *De quo primum hoc lubet dicere.*] Delevit Davisius primum; agnoscut Harl. 1. et 2.

84. *Quare quidque ita sit.*] Nempe, ut esse dicis.

85. *Reipublicae causa.*] Vide infra c. 33.

86. *Sed soli sumus.*] Cf. *N. D.* i. 22., "Difficile est negare: credo, si in concione quaeratur; sed in hujusmodi sermone et in consessu facillu-mum."

87. *Cognita esse harusp.*] Ita recte Dav.: vulg. *ab h.*

88. *Quam diurna ista fuit?*] Praemittit Harl. 2. copulam *et*, sicut etiam duo Moseri; eaque saepissime in interrogatione refellendi vim habet.

89. *Observari potuit.*] Impersona-liter.

90. *Quomodo est collata . . . quae pars—.*] Lambinus *collatum, frusta:* cf. *de Amic.* 16., "Constituendi sunt, qui sint in amicitia fines . . . diligendi." apud Moserum.

91. *Quae pars inimica.*] Ita ex Med. scribendum recte censuit Davisius, collato *Lucan.* i. 621., "Venasque minaces *Hostili de parte videt.*" Vulg. *inimici.*

quae pars familiaris<sup>92</sup> esset; quod fissum, periculum; quod, commodum aliquod ostenderet? An haec inter se haruspices Etrusci, Elii, Aegyptii, Poeni contulerunt? At id, praeterquam quod fieri non potuit, ne fingi quidem potest: alios enim alio more videmus exta interpretari, nec esse unam omnium disciplinam. Et certe si est in extis aliqua vis quae declarat futura; necesse est, eam aut cum rerum natura esse conjunctam, aut conformari quodam modo numine deorum vique<sup>93</sup> divina. Cum rerum<sup>94</sup> natura tanta tamque praeclara, in omnis partis motusque<sup>95</sup> diffusa, quid habere potest commune, non dicam gallinaceum fel, (sunt enim, qui vel argutissima<sup>96</sup> haec exta esse dicant) sed tauri opimi jecur, aut cor, aut pulmo, quid habet naturale<sup>97</sup>, quo<sup>98</sup> declarare possit quid futurum sit?

XIII. Democritus tamen non inscite nugatur, ut physicus; quo genere nihil adrogantius.

Quod 'st ante pedes<sup>99</sup>, nemo spectat: coeli scrutantur plagas<sup>1</sup>.

Verum is tamen habitu extorum et colore declarari censem hoc<sup>2</sup> dumtaxat, pabuli genus et earum rerum, quas terra pro-

92. *Familiaris.*] Confert idem *Liv.* viii. 9, "Caput jecinoris a *familiari parte caesum.*" Infra c. 13. extr., *fissum familiare*.

93. *Numine deorum vique divina.*] Cf. c. 15. infra. Merito hanc lectio- nem ex edd. vet. quibusdam recepit Orellius, pro vulgata *numini deorum. Atqui divina cum rerum natura;* in qua Davisius quidem *divina*, Ernestius vero *rerum delendum censebat.* Ceterum monet Orell., saepe Cic. *jungere numen vimque deorum;* neque hic *ταυτολογίαν* exsistere inter *numen deorum omnium, vimque aliquam singularem divinam.*

94. *Cum rerum natura... quid—?*] Sic, adversativa particula omissa, acrior fit interrogatio, quasi proprius accidentis, instantis, urgentis.

95. *In omnis partis motusque dif- fusa.*] In omnes partes se admovens atque diffusa. Pro *motusque* conjectit Davisius *locosque*, frustra.

96. *Argutissima.*] Quae maxime arguant, declarant, significant. Constat Hotting. de *Leg.* i. 9., "Oculi nimis *arguti.*"

97. *Quid habet naturale.*] Est epa- nalepsis post parenthesis: et inter-

pretor ex superioribus—quid habere potest cum rerum natura commune. Nam frustra Davisius vocem *naturale suspectam* habuit. Quod vero non tulerit, ut ait, Moserus singularem numerum *habet* post tot enumerata, deditque de suo *habent*, melius fecisset, credo, vir doctus, si tulisset.

98. *Quo declarare possit.*] Dedit Dav. e codd. *quo pro quod, recte.* Non recipio autem, quod edidit Ernestius, *declarari.*

99. *Quod 'st ante pedes.*] Cf. *Sophocl. Oed.* T. 130., τὰ πρὸς ποσὶ σκοπεῖν. Haec, etiam cum aliis versibus duobus, legas apud nostrum etiam de *Rep.* i. 18.

1. *Coeli scrutantur plagas.*] Cf. *Varr.* apud *Nonium* iv. 395., "ocu- lis coeli rimari plagas."

2. *Hoc dumtaxat.*] Ern., Hott., Moser. *haec*, quod probabat etiam Dav.; sed, quoniam, quae post *pabuli genus* sequuntur, sunt magis exegetica quam quidquam amplius addunt, ego numerum pluraēm non requiro. Frustra autem Davisius, negantem particulam excidisse ratus, legendum credit *non haec dumtaxat*; nempe quid sequatur "salubritatem

creet, vel ubertatem vel tenuitatem: salubritatem etiam aut pestilentiam extis significari putat<sup>3</sup>. O mortalem beatum! cui certo scio judicium<sup>4</sup> numquam defuisse. Huncine hominem<sup>5</sup> tantis delectatum esse nugis, ut non videret tum futurum id veri simile, si<sup>6</sup> omnium pecudum exta eodem tempore in eundem habitum se coloreisque converterent? Sed si eadem hora aliae<sup>7</sup> pecudis jecur nitidum atque plenum est, aliae horridum et exile; quid est quod declarari possit habitu extorum et colore? An hoc ejusdem modi est, quale Pherecydeum illud quod est a te dictum? qui<sup>8</sup> quum aquam ex puto vidisset haustam, terrae motum dixit futurum. Parum, credo, impudenter<sup>9</sup>, quod, quum factus esset motus, dicere audent quae vis id efficerit: etiamne futurum esse, aquae jugis colore praesentiant? Multa istiusmodi dicuntur in scholis; sed credere omnia, vide, ne non sit necesse. Verum sint sane ista Democritea vera. Quando ea nos extis exquirimus? aut quando aliquid ejusmodi ab haruspice, inspectis extis, audivimus? Ab aqua aut ab igni pericula monent: tum hereditatis, tum damna denuntiant: fissum familiare<sup>10</sup> et vitale tractant: caput jecoris ex omni parte diligentissime considerant: si vero id non est inventum, nihil putant accidere potuisse tristius.

#### XIV. Haec observari certe non potuerunt, ut supra docui:

*etiam aut pestilentiam.*" At poterat, credo, Democritus non inscite, et sine arrogantia, etiam hoc extis significari censere. Cf. i. 57.

3. *Extis significari putat.*] Palatini omnes, alii multi, *puto*. Nempe librarius aliquis imprudens quae continuo sequitur interrogationem *O pro indicatione alterius lectionis accepit.*

4. *Cui certo scio judicium numquam defuisse.*] Restitui lectionem plurium librorum (habet etiam Harl. 3.), *judicium pro vulg. ludum*. Merito autem revocandam illam censuit Rathius; qui etiam recte interpretatur sic: "Quamquam, ait Tullius, certo scio, Democrito numquam acrem quamdam judicandi vim defuisse; mirum tamen est, virum tam tantopere nugis esse delectatum ut non videret—." Nam profecto de Democriti more ridendi non est hic cogitandum. Et recte jam Ernestius monuerat, sequentibus magis convenire *judicium*. Quod vero pro *judicium* conjectit Davisius *ludicum*, ad

ductus literarum prope ille accedit, a Latinitate Ciceronis atque a sensu loci discedit.

5. *Huncine hominem —?*] Puta credi potest.

6. *Si omnium pecudum —.*] Davisii codd. *sonnum cum pecudum*: nempe quum *si omnium in sonnum coisset*, haud difficile erat librariis *cum*, quippe post *tum*, suppeditare.

7. *Aliae pecudis.*] Sic *Liv. xxiv. 27. extr. aliae partis.*

8. *Pherecydeum . . . qui —.*] Consultit Hottinger. *de Fin.. v. 6.*, "Carneadea nobis adhibenda divisio est, . . . Ille igitur —." ubi plura Davisius; addit *Ruhnken. ad Vellei. p. 16. Conf. etiam Sophocl. Trach. 264*; quamquam iterum Noster infra c. 31., "Flaminiana . . . quod ipse —."

9. *Parum, credo, impudenter.*] Ironice.

10. *Fissum familiare.*] Vide ad c. 12.—Continuo et vitale: exegeticice. Nihil opus, opinor, Hottingeri conjectura hostile.

sunt igitur artis inventa, non vetustatis, si est ars ulla rerum in-cognitarum. Cum rerum autem natura quam cognationem ha-bent? quae ut<sup>11</sup> uno consensu juncta sit et continens; quod video placuisse physicis, eisque maxume, qui omne quod esset, unum esse dixerunt: quid habere mundus potest cum thesauri inventione conjunctum? si enim extis pecuniae mihi amplifica-tio ostenditur, idque fit natura; primum exta sunt conjuncta mundo: deinde meum lucrum natura rerum continetur. Nonne pudet physicos haec dicere? Ut<sup>12</sup> enim jam sit aliqua in na-tura rerum cognatio, quam esse concedo; multa enim Stoici colli-gunt: nam et muscularum<sup>13</sup> jecuscula bruma dicuntur augeri, et puleium aridum florescere brumali ipso die, et inflatas rumpi ve-siculas, et semina malorum, quae in iis mediis inclusa sint, in contrarias partis se vertere: jam nervos in fidibus aliis pulsis resonare alios; ostreisque et conchyliis omnibus contingere, ut cum luna crescant pariter<sup>14</sup>, pariterque decrescant; arbores-que ut<sup>15</sup> hiemali tempore, cum luna simul senescentes, quia tum exsiccatae sint, tempestive caedi putentur. Quid de fretis, aut de marinis aestibus plura dicam? quorum accessus et reces-sus lunae<sup>16</sup> motu gubernantur. Sexcenta licet ejusdem modi proferri, ut distantium rerum cognatio naturalis adpareat. Demus hoc; nihil enim huic disputationi adversatur: num etiam, si fissum cujusdam modi fuerit in jecore, lucrum ostenditur? Qua ex cognitione<sup>17</sup> naturae et quasi concentu atque consensu, quam συμπάθειαν Graeci appellant, convenire po-test aut fissum jecoris cum lucello meo, aut meus quaesticulus cum coelo, terra, rerumque natura?

#### XV. Concedam hoc ipsum, si vis; etsi magnam jacturam cau-

11. *Quae ut . . . sit . . . , . . . quid —?*] Cf. *de Orat.* ii. 11., “Quae ut nemo tradat, quis est qui nesciat?” *Phil.* xii. 6., “Ut centurionum . . . profusus sanguis eluatur, num elui praedicatio crudelitatis potest?” Infra paulo h. c., “Ut enim jam sit . . . cognatio, quam esse concedo; . . . num etiam—?”

12. *Ut enim jam sit . . .*] Infra c. 63., “ut, si jam fieri possit . . . , ta-men—.” Pro *cognatio* nostri omnes *contagio*.

13. *Muscularum jecuscula.*] Cf. *Plin. H. N.* xi. 76.

14. *Ut cum luna crescant pariter, pariterque decrescant.*] Aut hoc or-dine scribendum cum Nizolio, aut cum Facciolato Nizolii opus edente,

in vocibus *Cresco*, *Decresco*, *Luna*, prius *pariter* omittendum. Nam vul-gatum ordinem, *pariter crescant*, *par-iterque decrescant*, ab aliquo profec-tum existimo, qui ita caveret ne pri-us istud *pariter* excideret. Vide ad c. 1. initium.

15. *Arboresque ut . . . caedi puten-tur.*] Negligenter haec ad *contingere* retulit.

16. *Lunae motu gubernantur.*] Vide ad *N. D.* ii. 53. Mox Harl. omnes *ejusmodi*.

17. *Qua ex cognitione naturae—?*] Gruterus cum Victorio et ex Palat. I. et 2. *conjunctione*, quomodo etiam alii codd. satis multi: vide infra c. 60. et 69.

sae fecero, si ullam esse convenientiam naturae cum extis concessero. Sed tamen, eo concesso, quî evenit, ut is, qui impetrare<sup>18</sup> velit, convenientem hostiam rebus suis immolet? Hoc erat quod ego non rebar posse dissolvi. At quam festive dissolvitur! Pudet me non tui quidem, cuius etiam memoriam admiror, sed Chrysippi, Antipatri, Posidonii, qui idem istud quidem dicunt, quod est dictum<sup>19</sup> a te, ad hostiam diligendam ducem esse vim quamdam sentientem atque divinam, quae toto confusa mundo sit. Illud vero multo etiam melius<sup>20</sup>, quod et a te usurpatum est et dicitur ab illis, quum immolare quispiam velit, tum fieri extorum mutationem, ut aut absit aliquid aut supersit: deorum enim numini parere omnia. Hoc jam, mihi crede, ne aniculae<sup>21</sup> quidem existumant. An censes, eumdem vitulum si alius delegerit, sine capite jecur inventurum<sup>22</sup>; si alius, cum capite? Haec decessio<sup>23</sup> capitis, aut accessio, subitone fieri potest, ut se exta ad immolatoris fortunam accommodent? Non perspicitis, aleam quamdam esse in hostiis diligendis, praesertim quum res ipsa doceat? quum enim tristissima exta sine capite fuerunt<sup>24</sup>, quibus nihil videtur esse dirius; proxuma hostia litatur saepe pulcherrume. Ubi igitur illae minae superiorum extorum? aut quae tam subito facta est deorum tanta placatio?

XVI. Sed aduers, in tauri opimi extis, immolante Caesare, cor non fuisse: id quia non potuerit accidere ut sine corde victima illa viveret; judicandum esse tum interisse cor, quum immolaretur. Quî fit ut alterum intellegas, sine corde non potuisse bovem vivere; alterum non videas, cor subito non potuisse nescio quo avolare? Ego enim possum vel nescire quae vis sit cordis ad vivendum, vel suspicari, contactum<sup>25</sup> aliquo morbo, bovis exile et exiguum et vietum cor, et dissimile cordis fuisse. Tu vero quid habes, quare putas, si paulo ante cor fuerit in tauro opimo, subito id in ipsa immolatione interisse? An, quod adspexerit vestitu purpureo excordem<sup>26</sup> Caesarem, ipse corde

18. *Impetrare.*] Vide ad i. 16.

19. *Idem . . . dicunt, quod est dictum.*

*a te.*] Harl. 2. delet *dictum*. Ad rem autem cf. i. 52.

20. *Multo etiam melius.*] Multo magis festivum. Nempe ironice.

21. *Ne aniculae quidem.*] Cf. N. D. i. 20. s. f., et 34., infra c. 68., supra c. 7. extr. De particula *jam* vide ad c. 57. infra.

22. *Inventurum.*] Reponendum censem Davisius *inventum iri*, quia videlicet haec curarent haruspices,

non is qui delegisset; quod est argutari.

23. *Haec decessio capitinis.*] Cf. de Univ. 6. apud Moser., "Neque enim ulla decessio fieri poterat, neque accessio."

24. *Quum . . . fuerunt, . . . saepe—.*] Dav. *fuerint*, male. Harl. 2. *proxima saepe hostia l. p.*

25. *Contactum aliquo morbo.*] I. e. affectum. Conjecit Victorius *contractum*, frustra.

26. *Vestitu purpureo excordem.*]

privatus est? Urbem<sup>27</sup> philosophiae, mihi crede, proditis, dum castella defenditis: nam, dum haruspicinam veram esse voltis, physiologiam totam pervertitis. Caput est in jecore, cor in extis: jam abscedet, simul ac molam et vinum insperseris<sup>28</sup>: deus id eripiet, vis aliqua conficiet aut exedet. Non ergo omnium interitus atque ortus<sup>29</sup> natura conficiet: et erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat. Quis hoc physicus dixit umquam? Haruspices dicunt. His igitur, quam physicis, credendum potius existumas?

XVII. Quid? quum pluribus diis immolatur, qui tandem evenit ut litetur aliis, aliis non litetur? Quae autem inconstans deorum est, ut primis minentur extis, bene<sup>30</sup> promittant secundis? aut tanta inter eos dissensio, saepe etiam inter proximos, ut Apollinis<sup>31</sup> exta bona sint, Diana non bona? Quid est tam perspicuum, quam, quum fortuito hostiae adducantur, talia cuique exta esse, qualis cuique obtigerit hostia? At enim id ipsum habet aliquid divini, quae cuique hostia obtingat; tamquam in sortibus, quae cui ducatur. Mox de sortibus: quamquam tu quidem non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortis collatione hostiarum. An, quum in Aequimaelium<sup>32</sup> misimus qui adferat agnum quem immolemus: is mihi agnus adfertur, qui habet exta rebus accommodata, et ad eum agnum non casu, sed duce deo servus deducitur? nam si casum<sup>33</sup> in eo quoque dicis esse, quasi sortem quamdam cum deorum voluntate conjunctam; doleo tantam Stoicos nostros<sup>34</sup> Epicureis irridendi sui facultatem dedisse:

Supra i. 52, "quum immolaret illo die, quo primum in sella aurea sedit et cum purpurea veste processit." Ludit autem Cicero in etymo verbi *excors*. *Adspexerit* dedit Dav. cum Vict. et Lamb., pro *adspexit*.

27. *Urbem philosophiae... proditis.*] Conjicit Hottinger. *Arcem* pro *Urbem*, conferens locum supra i. 6.: sed recte monet Moser., opponi *urbem* castellis quae urbis tuendae causa erecta sint.

28. *Simul ac molam et vinum insperseris.*] Addunt multi libri *immo jam ut vinum inspexeris*: in quibus corrigendum fortasse *vivum* pro *vinum*; sed interpolatoris opinor additamentum esse.

29. *Interitus atque ortus.*] Recepit cum nuperis *ortus* pro *obitus* e conjectura Davisii, id quod sequentia vindicatur postulare.

30. *Bene promittant.*] Cf. Sallust.

*Catil. 41. extr.*, "bene policeantur."

31. *Apollinis exta.*] Exta ejus hostiae quae Apollini immolatur. Nota negligentem genitivi usum.

32. *In Aequimaelium.*] Locus fuit ita dictus, tradit Varro, quod ibi dominus Sp. Maelii solo aequata fuisset.

33. *Casum... quasi sortem... conjunctam*] Codices fere, etiam nostri, *casus*. Ne quis vero legendum putaret *conjunctum*, ut ad *casum* referretur, contulit Hottinger. *Cic. Brut.* 75., "omni ornatu orationis, tamquam veste *detractu*." Sed supervacaneum videtur hujusmodi syllepsin intelligere. Cf. i. 18.

34. *Stoicos nostros.*] I. e. cum quibus est nobis agendum. Cf. *Tusc.* i. 32, apud Hott., "Numquid igitur est causae, quin *amicos nostros* Stoicos dimittamus?" i. e. cum quadam ironia. Frustra ergo Davisius *vestros*.

non enim ignoras quam ista derideant. Et quidem illi facilius facere possunt: deos enim ipsos jocandi causa induxit Epicurus perlucidos, et perflabilis, et habitantis, tamquam inter duos lucos<sup>35</sup>, sic inter duos mundos, propter metum ruinarum; eosque habere putat eadem membra, quae nos, nec usum ullum habere membrorum. Ergo hic circuitione quadam deos tollens, recte<sup>36</sup> non dubitat divinationem tollere. Sed non, ut hic sibi constat, item Stoici: illius enim deus nihil habens nec sui nec alieni negoti<sup>37</sup>, non potest hominibus divinationem imperire; vester autem deus potest non impertire<sup>38</sup>, ut<sup>39</sup> nihilominus mundum regat et hominibus consulat. Cur igitur vos induitis<sup>40</sup> in eas captiones, quas numquam explicetis<sup>41</sup>? Ita enim, quum magis properant, concludere solent: Si dī sunt, est divinatio: sunt autem dī: est ergo divinatio. Multo est probabilius, non est autem divinatio: non sunt ergo dī. Vide quam temere committant<sup>42</sup>, ut, si nulla sit divinatio, nulli sint dī: divinatio enim perspicue tollitur; deos esse retinendum est.

XVIII. Atque hac extispicum divinatione sublata, omnis harspicina sublata est. Ostenta enim sequuntur, et fulgura: vallet autem in fulgoribus<sup>43</sup> observatio diuturna; in ostentis ratio plerumque conjecturaque adhibetur. Quid est igitur, quod observatum sit in fulgure? Coelum in xvi. partis diviserunt Etrusci: facile id quidem fuit, quatuor, quas nos habemus, duplicare: post idem iterum facere, ut ex eo dicarent, fulmen qua ex parte venisset. Primum id quid interest? deinde quid significat? Nonne perspicuum est, ex prima admiratione ho-

35. *Tamquam inter duos lucos, . . . propter metum ruinarum.*] Qualem, quaeso, ruinam posset aliquis a *luco* metuere? An scribendum *inter duos vicos*? Nempe ita posset aliquis, motu terrae instanti, ruinam tectorum vitare. Ceterum cf. *N. D.* i. 25. 26. 27. Nam quod censem Ernestius, hoc respicere ad locum in Capitolio inter duos lucos, quod erat asylum et perfugium securitatis constitutum, non mihi placet Romuli asylum cum Epicuri intermundii conferre; neque qui istuc configiebant ullam ruinam a luco utrobique metuebant.

36. *Recte non dubitat*—.] I. e. sibi constanter. Frustra est Clerici conjectura *recta*.

37. *Nihil habens . . . negoti.*] Cf. *N. D.* i. 17. et 30. extr.

38. *Impertire.*] Haec forma in co-

dicibus fere exstat: Davisius *impertiri*.

39. *Ut nihilominus*—.] I. e. ita ut —. Cf. *Hor. Ep.* i. 20. 25., “Irasci celerem, tamen *ut* placabilis essem.”

40. *Induitis.*] Pro *inducitis* recte conjectit P. Manutius, collato *Lucret.* iv. 815., “Ac nos in fraudem *induiimus*.” Postea in codicibus tribus reperit Gruterus.

41. *Explicitis.*] Cf. *N. D.* i. 20., “quum explicare argumenti exitum non potestis.”

42. *Committant.*] Cf. *de Leg.* i. 13., “Vereor committere, ut non bene provisa . . . principia ponantur.” plura apud Nizolium.

43. *In fulgoribus.*] Harl. 1. et 2. *fulgoribus*, et mox *fulgore*, et in fine capitinis *de fulgoribus*: quomodo Cicero infra c. 19. et 39., supra i. 49.

minum<sup>44</sup>, quod tonitrua jactusque fulminum extimuisserunt, credidisse ea efficere rerum omnium praepotentem Jovem. Itaque in nostris<sup>45</sup> commentariis scriptum habemus; *Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas*<sup>46</sup>. Hoc fortasse reipublicae causa<sup>47</sup> constitutum est: comitiorum enim non habendorum causas esse voluerunt. Itaque comitiorum<sup>48</sup> solum vitium est fulmen; quod idem omnibus rebus optimum auspicium habemus, si sinistrum fuit. Sed de auspiciis alio loco: nunc de fulguribus.

XIX. Quid igitur minus a physicis dici debet, quam quidquam certi significari rebus incertis? Non enim te puto<sup>49</sup> esse eum, qui Jovi fulmen fabricatos esse Cyclopas in Aetna putas: nam esset mirabile, quomodo id Juppiter toties jaceret, quum unum haberet, nec vero fulminibus homines, quid aut faciendum esset aut cavendum, moneret<sup>50</sup>. Placet enim Stoicis, eos anhelitus terrae qui frigidi sunt<sup>51</sup>, quum fluere coeperint, ventos esse: quum autem se in nubem induerint, ejusque tenuissumam quamque partem coeperint dividere atque disrumpere, idque crebrius facere et vehementius, tum et fulgores<sup>52</sup> et tonitrua exsistere: si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. Quod igitur vi naturae, nulla constantia, nullo rato tempore videmus effici, ex eo significationem rerum consequentium quaerimus? Scilicet, si ista Juppiter significaret, tam multa frustra fulmina emitteret<sup>53</sup>! Quid enim proficit, quum in medium mare

44. *Ex prima admiratione hominum, . . . credidisse.*] Lambinus in ed. 1. *homines, frustra: vide ad N.D. iii. 6. extr.*

45. *In nostris commentariis.*] Nempe in commentariis Collegii Augurorum.

46. *Comitia populi habere nefas.*] Cf. in Vatin. 8., Phil. v. 3., apud Davisiūm.

47. *Reipublicae causa.*] Cf. supra c. 12., infra c. 33. et 35. bis.

48. *Comitiorum solum.*] Vide infra c. 35.

49. *Non enim te puto esse eum, qui—.*] Q. d., Nam fulgor ad Physicam pertinere, non arbitror te velle inficiari. In illis autem infra, *Placet enim Stoicis*, pergit docere, quam sit incerta res fulgor.

50. *Quomodo . . . toties jaceret, . . . nec vero . . . moneret.*] Quomodo toties jaceret, si unum modo haberet, idque gratuito. Nam, quod censuit Davisiūs legendū *monere*, sc. *ipsum*,

ut a verbo *putes* supra penderet, non ego intelligo, non magis quam Hottingerus, cur de Quinto, divinationis defensore, quidquam tam supervacaneum dicere debuerit Marcus. Adde quod in *eset* — *monere* temporum ratio non constat. Jam vero Orellius ex numero plurali in nomine *fulminibus* novam quandam interpretationem studet elicere: “nec vero . . . fulminibus (*multis*) homines . . . moneret (*monere posset*).” Sed vir doctissimus non mihi satisfacit.

51. *Qui frigidi sunt.*] Dedit tacite Davisiūs *sunt pro sint*, sed idem etiam Moserus e codd. quatuor et edd. vet.

52. *Fulgores.*] Pro *fulgura* dedit Dav. e codd. suis, cum quibus faciunt etiam nostri, nisi quod Harl. 3. habet *fulgures*: vide ad c. 18. supra.

53. *Scilicet . . . tam multa frustra emitteret.*] Ironice: et frustra Palatini duo *non emitteret*.

fulmen jecit<sup>54</sup>? quid, quum in altissimos montis, quod plerumque fit? quid, quum in desertas<sup>55</sup> solitudines? quid, quum in earum gentium oras, in quibus haec ne observantur quidem?

XX. At inventum est caput in Tiberi. Quasi ego artem<sup>56</sup> aliquam istorum esse negem! divinationem nego: coeli enim distributio, quam ante dixi, et certarum rerum notatio docet, unde fulmen venerit, quo concesserit: quid significet autem, nulla ratio docet. Sed urgues me meis versibus<sup>57</sup>:

Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo  
Ipse suos quandam tumulos ac templa petivit,  
Et Capitolinis injecit sedibus ignis.

Tum statua Nattae, tum simulacra deorum, Romulusque et Remus, cum altrice belua, vi fulminis icti conciderunt, deque his rebus haruspicum exstiterunt responsa verissuma. Mirabile autem illud, quod eo ipso tempore, quo fieret indicium conjurationis in senatu, signum Jovis biennio post, quam erat locatum, in Capitolio collocabatur. Tu igitur animum induces, (sic enim mecum agebas) causam istam et contra facta tua et contra scripta defendere? Frater es, eo vereor<sup>58</sup>. Verum quid tibi hic tandem nocet? resne, quae talis<sup>59</sup> est; an ego, qui verum explicari volo? Itaque nihil contra dico: a te rationem totius haruspicinae peto. Sed te mirificam in latebram conjectasti. Quod enim intellegeres fore ut premerere<sup>60</sup>, quum ex te causas uniuscujusque divinationis exquirerem; multa verba fecisti, te, quum res videres, rationem causamque non quaerere: quid fieret, non cur fieret, ad rem pertinere. Quasi ego aut fieri concederem, aut esset philosophi, causam, cur quidque fieret, non quaerere? Et eo quidem loco et prognostica nostra pronun-

54. *Quum in medium mare fulmen jecit?*] Cf. *Lucret.* vi. 403., "In mare qua porro mittit ratione? quid undas Arguit, et liquidam molem camposque natantis?" Pro *jecit* dedit Davisius *jacit*, ob temporum rationem, ut ait ipse; sed illud *ἀρπιστως* accipiendum esse recte monuit Rathius.

55. *Quum in desertas solitudines?*] Cf. *Lucret.* ii. 1100., "Tum fulmina mittat, et aedis Saepe suas disturbet, et in *deserta* recedens Saeviat, exercens telum, etc."

56. *Artem aliquam istorum.*] Nempe fuit artis, cursum fulminis notare ac sequi. Ad rem autem, vide i. 10. supra.

57. *Meis versibus.*] Supra i. 12.

58. *Frater es; eo vereor.]* Puta quidquam asperius dicere. Quamquam scripsere alii *non vereor*, vel *eo non vereor*, quomodo etiam Moserus, conferens illud supra c. 12., "Sed soli sumus: licet verum exquirere sine invidia." Cui rationi obstat primum insequens particula *Verum*; deinde, ut videtur, res ipsa: nam profecto nihil hic fatetur Marcus, quod talem praefationem postularet. Infra: "Itaque nihil contra dico."

59. *Resne, quae talis est.]* Resne ipsa, sc. haruspicina, quae talis est, nempe qualem jam docui.

60. *Premерere.]* Pro *premerem te* primus edidit Gruterus e Palatinis.

tiabas, et genera<sup>61</sup> herbarum, scammoneam aristolochiamque radicem, quarum causam ignorares, vim et effectum videres.

XXI. Dissimile totum: nam et prognosticorum causas persequuti sunt et Boëthus Stoicus, qui est a te nominatus, et noster etiam Posidonius: et, si causae non reperiantur istarum rerum, res tamen ipsae observari animadvertique potuerunt<sup>62</sup>. Nattae vero statua, aut aera legum de coelo tacta, quid habent observatum<sup>63</sup> ac vetustum? Pinarii Nattae nobiles: a nobilitate<sup>64</sup> igitur periculum. Hoc tam callide Juppiter cogitavit. Romulus lactens fulmine ictus: urbi igitur periculum ostenditur ei quam ille condidit. Quam scite per notas nos certiores facit Juppiter! At eodem tempore signum Jovis collocabatur, quo conjuratio indicabatur. Et tu scilicet<sup>65</sup> mavis, numine deorum id factum quam casu arbitrari? et redemptor, qui columnam illam de Cotta et de Torquato conduxerat faciendam, non inertia aut inopia tardior fuit, sed a diis immortalibus ad istam horam reservatus est? Non equidem plane despero ista esse vera, sed nescio, et discere a te volo. Nam, quum mihi quaedam casu viderentur sic evenire, ut praedicta essent a divinatis; dixisti multa de casu, ut, Venerium<sup>66</sup> jaci posse casu, quatuor talis jactis; quadrungentis<sup>67</sup>, centum Venerios non posse casu consistere. Primum nescio cur non possint: sed non pugno; abundas enim similibus. Habes<sup>68</sup> et respensionem pigmentorum, et rostrum suis, et alia permulta. Idem Carnadeum fingere dicis de capite Panisci. Quasi non potuerit id evenire casu, et non in omni marmore necesse sit inesse vel Praxitelia capita! illa enim ipsa efficiuntur detractione<sup>69</sup>, nec quidquam illuc adfertur a Praxitele: sed quum multa sunt detracta, et ad lineamenta oris perventum est, tum intellegas illud, quod jam expolitum<sup>70</sup> sit, intus fuisse. Potest igitur tale

61. *Et genera herbarum.]* Puta commemorabas, quoniam minus apertum commune verbum pronuntiabas.

62. *Animadvertique potuerunt.]* Davisius et recentiores fere possunt: sed potuerunt accipio ut ἀποστρωτις potuit.

63. *Quid habent observatum ac vetustum?] Quid habent vetustum, quod utique observari animadvertique potuerit?*

64. *A nobilitate.] Cf. i. 12.*

65. *Et tu scilicet—.] Cf. de Fin. ii. 31., "Nullus est igitur cuiusquam dies natalis. At habetur. Et ego id scilicet nesciebam."*

66. *Ut, Venerium—.] Supra i. 13.*

67. *Quadrungentis, centum V.—.] Distinctionem ipsam satis commode admonere censem Moserus ex superioribus subaudiendum esse jactis. Ceterum quod addunt multi libri copulam et, pro qua jubet Dav. scribere sed, potuit etiam ipsa copula esse discretiva.*

68. *Habes.] Affers.*

69. *Detractione.] Conferendum monet Creuzerus Plotin. de Pulcrit. i. 6. 9. p. 57. C. Mire autem argutatur Marcus.*

70. *Illud, quod jam expolitum sit.] Harl. I. expeditum est. Cod. Vratisl. expositum sit.*

aliquid etiam sua sponte in lapicidinis Chiorum exstitisse. Sed sit hoc fictum. Quid? In nubibus numquam animadvertisisti leonis formam aut hippocentauri? Potest igitur, quod modo negabas, veritatem casus imitari.

XXII. Sed quoniam de extis et de fulguribus satis est disputatum; ostenta restant, ut tota haruspicina sit pertractata. Mulae partus prolatus est a te. Res mirabilis, propterea quia non saepe fit: sed si fieri non potuisset, facta non esset. Atque hoc contra omnia ostenta valeat; numquam, quod fieri non potuerit<sup>71</sup>, esse factum: sin potuerit<sup>72</sup>, non esse mirandum. Causarum enim ignoratio in re nova mirationem facit: eadem ignoratio si in rebus usitatis<sup>73</sup> est, non miramur: nam qui mulam peperisse miratur, is, quo modo equa pariat aut omnino quae natura partum animantis faciat, ignorat: sed, quod crebro videt, non miratur, etiamsi, cur fiat, nescit: quod ante non vidi, id si evenit<sup>74</sup>, ostentum esse censem. Utrum igitur, quum concepit mula, an quum peperit, ostentum est? Conceptione contra naturam fortasse: sed partus prope necessarius.

XXIII. Sed quid plura? Ortum videamus haruspicinae: sic facillume, quid habeat auctoritatis, judicabimus. Tages<sup>75</sup> quidam dicitur in agro Tarquiniensi, quum terra araretur et sulcus altius esset impressus, exstisset repente et eum adfatus esse qui arabat. Is autem Tages<sup>76</sup>, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentia. Ejus adspectu quum obstupuisset bubulus, clamoremque maiorem cum admiratione edidisset; concursum esse factum, tamque brevi tempore in eum locum Etruriam convenisse: tum illum plura loquutum multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint literisque mandarint: omnem autem orationem fuisse

71. *Numquam, quod fieri non potuerit,—.*] Vide infra c. 28.

72. *Sin potuerit.*] Puta, id quod factum sit, fieri.

73. *In rebus usitatis.*] Vult Dav. *visitatis*, frequenter visis, quia statim subjiciat noster “quod crebro videt.” Sed rectius res *usitatae* rei novae opponuntur. Neque alibi Cic. verbum *visitare* isto sensu adhibuit.

74. *Evenit.*] Dedit Dav. e codd., pro *evenerit*.

75. *Tages.*] Cf. Ovid. *Metam.* xv. 553—9.

76. *Is autem Tages.*] Videtur perspicuitatis causa nomen addidisse, sive parenthetice sive per appositionem; nam non arbitror continuo

jungi posse *Is Tages*, quasi de uno quodam ex pluribus sermo esset. Apud *Sallustium, Catil.* 19., in vulgaris legitur:—“Postea Piso in citiore Hispaniam . . . missus est, adnitente Crasso, . . . Sed *is Piso* in provincia . . . occisus est.” ubi ego, optimum codicem sequutus, delevi *Piso*; adde, quod alter cod. praeposte scriberet *Piso is*. Ad quem duo etiam *Taciti* loca adscripsi. Sed etiam apud *Liv.* i. 7. legitur *Is Evander*. Quidquid de hac re statuendum est, nihil *A. Gellio* quidem usitatus est: i. 4. *Is Julianus*, 13. *Is Crassus*; ii. 13. *Is Asellio*, 18. *Is Phaedon*, et ibid. *Ejus Epicteti*; etc.

eam, qua haruspicinae disciplina contineretur: eam postea crevisse rebus novis cognoscendis et ad eadem illa principia referendis. Haec accepimus ab ipsis: haec scripta conservant: hunc fontem habent disciplinae. Num ergo opus est ad haec refellenda Carneade? num Epicuro? Estne quisquam ita desipiens, qui credat exaratum esse, deum dicam, an hominem? Si deum<sup>77</sup>, cur se contra naturam in terram abdiderit<sup>78</sup>, ut patefactus aratro lucem adspiceret? Quid? idem nonne poterat deus hominibus disciplinam superiore e loco tradere? Si autem homo ille Tages fuit, quoniam modo potuit terra oppressus vivere? unde porro illa potuit, quae docebat alios, ipse didicisse? Sed ego insipientior, quam illi ipsi qui ista credunt, qui quidem contra eos tam diu disputem.

**XXIV.** Vetus autem illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se aiebat, quod non rideret haruspex, haruspicem quum vidisset. Quota enim quaeque res evenit praedicta ab istis? aut, si evenit quidpiam, quid adferri potest cur non casu id evenerit? Rex Prusias<sup>79</sup>, quum Hannibali apud eum exsultanti depugnari placeret, negabat se audere, quod exta prohiberent. "An tu, inquit, carunculae vitulinae mavis, quam imperatori veteri credere?" Quid? ipse Caesar, quum a summo<sup>80</sup> haruspice moneretur ne in Africam ante brumam<sup>81</sup> transmittenret, nonne transmisit? quod ni fecisset, uno in loco<sup>82</sup> omnes adversariorum copiae convenientiss. Quid ego haruspicum responsa commemorem, (possum equidem innumerabilia) quae aut nulos habuerunt<sup>83</sup> exitus, aut contrarios? Hoc civili bello, dii immortales! quam multa luserunt<sup>84</sup>? quae nobis in Graeciam Roma responsa haruspicum missa sunt? quae dicta Pompeio? et enim ille admodum extis et ostentis movebatur. Non lubet commemorare, nec vero necesse est, tibi praesertim

77. *Si deum.*] Davisius *Si deus*, quae infra longe sunt, spectans, quum Cicero proxime superiora potius respexisset.

78. *Cur se . . . abdiderit?*] I. e. abdere potuit: cf. illa infra, "quoniam modo potuit terra oppressus vivere?" Frustra Davisius *abdidiit*. Voces *in terram* delent Harl. I. et 3.

79. *Rex Prusias.*] De Antiocho refert Plutarchus.

80. *A summo haruspice.*] Conicit Davisius a Spurinna haruspice. Sed, in re notissima ac jam superiore libro (c. 52) memorata, adeo studiose nomen adhibere necesse non erat. Adjectivum vero *summo* ad rem augen-

dam facit. Nisi forte in eo latet superlativi alicujus terminatio: vide ad *N. D.* iii. 34.

81.] *Ne . . . ante brumam.*] H. e. brevissimam (diem): nempe erat religio Romanis aggredi negotium aliquod diebus decrescentibus, ut ait *Donatus ad Terent. Phorm.* iv. 4. 28.

82. *Uno in loco.*] Sic Gruterus e codd., pro *unum in locum*.

83. *Quae . . . habuerunt.*] Davisius tacite *habuerint*, quod etiam in cod. Guelf. reperit Ernestius.—Supra possum: vide ad *N. D.* ii. 3. extr.

84. *Quam multa luserunt?*] I. e. quam saepe ludibrio habuerunt con-

qui interfueristi. Vides tamen omnia fere contra, ac dicta sint, evenisse. Sed haec hactenus: nunc ad ostenta veniamus.

**XXV.** Multa<sup>85</sup> me consule a me ipso scripta recitasti: multa ante Marsicum bellum a Sisenna collecta adulisti: multa ante Lacedaemoniorum malam<sup>86</sup> pugnam in Leuctris a Callisthene commemorata dixisti: de quibus dicam equidem singulis, quoad videbitur<sup>87</sup>; sed dicendum etiam est de universis. Quae est enim ista a diis profecta significatio et quasi denuntiatio calamitatum? quid autem volunt ea dii immortales primum significantes, quae sine interpretibus non possimus<sup>88</sup> intellegere: deinde ea, quae cavere nequeamus? At hoc ne homines quidem probi faciunt, ut amicis impendentis calamitatis praedicanter, quas illi effugere nullo modo possint: ut medici, quamquam intellegunt saepe, tamen numquam aegris dicunt, illo morbo eos esse morituros. Omnis enim praedictio mali tum probatur, quum ad predictionem cautio adjungitur. Quid igitur aut ostenta aut eorum interpretes, vel Lacedaemonios olim vel nuper nostros adjuverunt? quae si signa deorum putanda sunt, cur tam obscura fuerunt? si enim, ut<sup>89</sup> intellegemus quid esset eventurum; aperte declarari oportebat: aut ne occulte quidem, si ea sciri nolebant.

**XXVI.** Jam vero conjectura omnis, in qua nititur divinatio, ingenii hominum in multas ac diversas, aut etiam contrarias partis saepe deducitur<sup>90</sup>. Ut enim in causis judicialibus alia conjectura est accusatoris, alia defensoris, et tamen utriusque creditibilis: sic in omnibus iis rebus, quae conjectura investigari videntur<sup>91</sup>, anceps reperitur oratio. Quas autem res tum natura, tum casus adfert; (nonnumquam<sup>92</sup> etiam errorem creat similitudo) magna stultitia est earum rerum deos facere effec-

sulentes, ut recte Kayserus.

85. *Multa . . . multa—.*] Lib. I. c. 11, 34, 44.

86. *Malam pugnam.*] Cf. *Sallust. Jug.* 56., "Quod oppidum primum omnium post *malam pugnam* ab rege defecerat." *Supra* I. 54., *male pugnatum.*

87. *Quoad videbitur.*] Merito Davisius *utile* delevit, quod etiam a codicibus omnibus abest.

88. *Quae . . . non possimus intellegere.*] Recte Dav. dedit *possimus pro possumus* e codd. duobus: accedunt quatuor Moseri.

89. *Si enim, ut intellegemus.*] Subaudi *id volebant*. Sed scribunt nostri tres, particula *ut omissa, si enim*

*intellegemus*; quod nescio an liceat interpretari, si intellecturi essemus, si id agebatur ut intelligeremus.

90. *Deducitur.*] Ita codices: volunt autem viri docti potius *diducitur*, quod mihi tamen non tantopere placet, ut a codicibus discedere velim. Nam tum demum *diduci* conjectura arbitror dici posse, si unus aliquis idemque non uno modo ostentum aliquod interpretetur.

91. *Investigari videntur.*] Harl. 2. *solent.*

92. *Nonnumquam . . . similitudo.*] Haec parenthetice accipienda monuit Davisius, quum Lambinus de suo adderet *in quibus*.

tores, causas rerum non quaerere. Tu vatis Boeotios credis Lebadiæ vidisse ex gallorum gallinaceorum cantu, victoriam esse Thebanorum, quia galli victi silere solent<sup>93</sup>, canere victores. Hoc igitur per gallinas<sup>94</sup> Juppiter tantæ civitati signum dabat? An illæ aves, nisi quum vicerunt<sup>95</sup>, canere non solent? At tum caneabant, nec vicerant: id enim est, inquies, ostentum. Magnum vero: quasi pisces, non galli, cecinerint. Quod autem est tempus, quo illi non cantent, vel nocturnum, vel diurnum? Quod si victores alacritate et quasi laetitia ad canendum excitantur; potuit accidisse alia quoque laetitia, qua ad cantum moverentur. Democritus quidem optumis<sup>96</sup> verbis causam explicat, cur ante lucem galli canant<sup>97</sup>: depulso enim de pectore et in omniè corpus diviso<sup>98</sup> et mitificato<sup>99</sup> cibo, cantus edere, quiete satiatos: qui quidem silentio noctis, ut ait Ennius, *favent faucibus russis*<sup>1</sup>: *cantu plausuque premunt alas*. Quum igitur hoc animal tam sit canorum sua sponte, quid in mentem venit Callistheni dicere, deos gallis signum dedisse cantandi, quum id vel natura, vel casus efficere potuisse?

XXVII. Sanguinem<sup>2</sup> pluisse senatui nuntiatum est; Atratum<sup>3</sup> etiam fluvium fluxisse sanguine; deorum sudasse simulacra. Num censes his nuntiis Thalem, aut Anaxagoram, aut quemquam physicum crediturum fuisse? nec enim sanguis nec sudor nisi e corpore<sup>4</sup> est: sed et decoloratio quaedam ex aliqua contagione terrena maxume potest sanguini similis esse, et

93. *Silere solent.*] Recte Dav. e pluribus libris *solent pro solerent*: vide ad *N. D.* ii. 56., “Gustatus, qui sentire eorum quibus vescimur genera deberet.” et c. 60., *ut . . . possimus, . . . haberemus*. Adde *Cortium* ad *Sallust. B. J.* 59.

94. *Per gallinas.*] Immo per gallos utique: sed recte, opinor, censem Hottinger., Ciceronem *gallinas* pro genere ipso dixisse; nam etiam infra est *galli*, et quidem bis.

95. *Nisi quum vicerunt.*] Sic Harl. I. et 3., quatuor Moseri; vulg. *vicerint*.

96. *Optumis verbis.*] Optime ac darse. Contulit Dav. *de Fin.* ii. 26.

97. *Cur . . . canant.*] Alii codices, etiam Harl. I., *cantent*.

98. *In omne corpus diviso.*] Cf. *N. D.* ii. 54. extr.; addit Davisius *Liv.* ii. 32. extr.

99. *Mitificato.*] Concocto: frustra codices aliquot *modificato*.

1. *Favent faucibus russis: cantu plausuque premunt alas.*] I. e., silent, et, pressis sive depressis alis, cantu plausuque se abstinent. Distinctionem hanc e cod. Balliol. dedit Davisius; etsi non secus jam Lambinus distinxit. Alii vero, jungentes *Favent faucibus russis cantu*, plane in contrariam partem interpretantur, ut *favere cantu sit canere*; praeter mentem, opinor, auctoris, qui, quo magis probanda videatur Democriti explicatio, ipse hoc affert, nempe silentio noctis, nondum utique concocto atque digesto cibo, gallos solere tacere. Frustra codd. nonnulli *Favent faucibus: rursus cantu etc.*

2. *Sanguinem pluisse.*] Edd. vet. aliquot *sanguine pluisse*; quae forma est aliis scriptoribus usitata.

3. *Atratum etiam fluvium.*] Vide ad i. 43.

4. *Nisi e corpore.*] Nempe animali.

humor adlapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus austro<sup>5</sup>, sudorem videtur<sup>6</sup> imitari. Atque haec in bello plura et majaora videntur timentibus; eadem non tam animadvertisuntur in pace. Accedit illud etiam, quod in metu et periculo quum creduntur facilius, tum finguntur impunius. Nos autem ita leves atque inconsiderati sumus, ut, si mures corroserint aliquid, quorum est opus<sup>7</sup> hoc unum, monstrum putemus? Ante vero Marsicum bellum, quod clypeos Lanuvii, ut a te est dictum, mures rosissent, maximum id portentum haruspices esse dixerunt. Quasi vero quidquam intersit, mures, diem noctem aliquid rodentes, scuta an cribra corroserint. Nam si ista sequimur, quod Platonis Politiam nuper apud me mures corroserint<sup>8</sup>, de republica debui pertimescere: aut, si Epicuri de Voluptate liber rosus<sup>9</sup> esset, putarem<sup>10</sup> annonam in macello cariorem fore.

**XXVIII.** An vero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut ex pecude aut ex homine nata dicuntur? quorum omnium, ne sim longior, una ratio est: quidquid enim oritur, qualemcumque est, causam habeat a natura necesse est; ut, etiamsi praeter consuetudinem existiterit, praeter naturam tamen non possit<sup>11</sup> existere. Causam igitur investigato in re nova atque admirabili, si poteris: si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine causa; eumque terrorem<sup>12</sup>, quem tibi rei novitas adtulerit, naturae ratione depellito. Ita te nec terrae fremitus, nec coeli discessus, nec lapideus aut sanguineus imber, nec trajectio stellae, nec faces visae

5. *Videmus austro.*] I. e., ubi est austera.

6. *Sudorem videtur imitari.*] Verbum *videtur* recte recepit Davisius e codd. pluribus; quum alii repeterent potest ex superiori membro: vide ad *N. D.* ii. 46., “Neque terra ali posset, neque remearet aér.”

7. *Quorum est opus hoc unum.*] Quibus nihil aliud negotii datum est, quam ut semper aliquid rodant.

8. *Quod . . . apud me mures corroserint.*] Ernestius *corroserunt*, frustra; vide ad *N. D.* ii. 9. extr.

9. *Si . . . rosus esset.*] Davisius *corrosus*: non placet compositum verbum toties iteratum. Habent autem *rosus* codd. apud Moser. sex; adde Harl. 1.

10. *Putarem.*] Deberem putare. Cf. *de Fin.* ii. 12., “Epicurus . . . si

. . . , idem tenere debuit ultimum bonorum quod ille; sin . . . , fecisset idem, ut—.” Plura ad *N. D.* iii. 31.

11. *Ut, etiamsi . . . existiterit, . . . non possit existere.*] Malles aut potuerit aut existisse. Harl. 2. *ut si*; 3. *ut jam si*.

12. *Eumque terrorem.*] Sic primus Lambinus, e codd. duobus, pro *errorem*: sequutus est Davisius, conferens quae sunt supra, “An vero illa nos terrent,” et infra, “Ita te nec . . . terrebunt.” Accedit cod. unus Moseri; et rem propemodum conficit *Lucret.* i. 147, apud Hottinger, “Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necesse ‘st Non radii solis, nec lucida tela diei *Discutiant*, sed naturae species *ratioque*.” Harl. 1. *naturae ratio depellito*.

terrebunt. Quorum<sup>13</sup> omnium causas si a Chrysippo quaeram, ipse ille divinationis auctor numquam illa dicet facta fortuito, naturalemque<sup>14</sup> rationem omnium reddet: nihil enim fieri sine causa potest: nec quidquam fit, quod fieri non potest: nec, si id factum est quod potuit fieri, portentum debet videri: nulla<sup>15</sup> igitur portenta sunt. Nam si, quod raro fit, id portentum putandum est; sapientem esse portentum est: saepius enim mulam peperisse arbitror quam sapientem fuisse. Illa igitur ratio concluditur, nec id, quod non potuerit fieri, factum umquam esse; nec quod potuerit, id portentum esse: ita omnino nullum esse portentum. Quod etiam conjector quidam et interpres portentorum non inscite respondisse dicitur ei, qui quoddam<sup>16</sup> ad eum retulisset quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumjectus fuisse: *tum esset*, inquit, *ostentum, si anguem vectis circumPLICARISSET*. Hoc ille responso satis aperte declaravit, nihil habendum esse portentum quod fieri posset.

**XXIX.** C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit, duobus angibus<sup>17</sup> domi comprehensis, haruspices a patre convocatos. Qui magis angibus, quam lacertis, quam muribus? Quia sunt haec quotidiana, angues non item. Quasi vero referat, quod fieri potest, quam id saepe fiat. Ego tamen miror, si emissio feminae anguis mortem adferebat Ti. Graccho, emissio autem

13. *Quorum omnium causas.*] Plures libri *quarum*: quae potest scriptoris esse negligentia, quasi *rерum* subaudiendum esset. Frustra autem vox *omnium* Mosero displicet; quae eadem vox redit quidem infra, sed satis multis interpositis; quamquam ipsa geminatio vi non caret.

14. *Numquam i. dicet f. f., naturalemque r. o. reddet.*] I. e. potiusque reddet. Cf. *de Fin.* ii. 5. extr., "Non prorsus, inquit: omnesque, qui sine dolore sint, in voluptate . . . esse dico." ad quem locum, monet Moseurus, Goerenzium adhibere *de Senect.* 6., "Nihil igitur afferunt, qui . . . negant, similesque sunt etc." Alia nos in prolusione de *usu Copularum* iii. 20.; vide etiam ibid. i. 50.

15. *Nulla igitur portenta sunt.*] Conf. c. 22. supra.

16. *Qui quoddam ad eum retulisset quasi-ostentum.*] Vulgati *qui cum ad eum;* in qua lectione particula *cum* nihil habet quod agat. Regius Davisi *qui quiddam:* tres apud eumdem

*qui quoddam;* quod habent etiam Harl. 3., duo Moseri. Hoc igitur modo scripsi. Βραχνογιαν autem Ciceronis sic in latius censeo diducendam: *Quod . . . respondisse dicitur ei, qui quoddam ad eum retulisset quasi-ostentum.* *Nam, quum hoc relatum esset, quod*—. Ceterum similiter *N.D.* i. II., post *quidam* negligens apposito accedit: "Nam Parmenides commentitium *quiddam* coronae similitudine efficit, (Stephanen appellat,) *continentem ardore lucis orbem*, qui cingit coelum." ubi sic potius erigenda erat oratio: Nam P. commentitium *quiddam* c. s. efficit (Stephanen appellat): est continens ardore lucis orbis, qui cingit coelum, Conf. etiam illud infra c. 43., "Quibus etiam Diogenes Stoicus concedit *aliquid*, ut praedicere possint dumtaxat, qualis quisque natura . . . futurus sit." i. e. concedit aliquid: nempe hoc concedit, ut—.

17. *Duobus angibus.*] Vide i. 18. s. f.

maris anguis<sup>18</sup> erat mortifera Corneliae, cur alteram utram emiserit: nihil enim scribit respondisse haruspices, si neuter anguis emissus esset, quid esset futurum. At mors insequuta Gracchum<sup>19</sup> est. Causa<sup>20</sup> quidem, credo, aliqua morbi gravioris, non emissione serpentis: neque enim tanta est infelicitas haruspicum, ut ne casu quidem umquam fiat, quod futurum illi esse dixerint.

XXX. Nam illud mirarer, si crederem, quod apud Homerum Calchantem dixisti ex passerum numero belli Trojani annos auguratum: de cuius conjectura sic apud Homerum, ut nos otiosi convertimus, loquitur Agamemnon<sup>21</sup>:

Ferte viri, et duros animo tolerate labores,  
Auguris ut nostri Calchantis fata<sup>22</sup> queamus  
Scire, ratosne habeant an vanos pectoris orsus.  
Namque omnes memori portentum mente retentant,  
Qui non funestis liquerunt lumina fatis.  
Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis,  
Quae Priamio cladem et Trojae pestemque ferebant;  
Nos circum latices gelidos, fumantibus aris,  
Aurigeris divōm placantes numina tauris,  
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquaī,  
Vidimus immani specie tortuque draconem  
Terribilem, Jovis ut pulsu penetrabat<sup>23</sup> ab ara:  
Qui platani in ramo foliorum tegmine septos  
Corripuit pullos: quos cum consumeret octo,  
Nona super tremulo genitrix clangore volabat:  
Cui ferus immani laniavit viscera morsu.  
Hunc, ubi tam<sup>24</sup> teneros volucris matremque peremit,  
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem  
Abdidit, et duro firmavit<sup>25</sup> tegmina saxo.  
Nos autem timidi stantes mirabile monstrum

18. *Feminae anguis . . . maris anguis.*] Posterius *anguis* delet Harl. I. Infra *alteram utram*: ita divisim scribunt etiam Harl. I. et 3., quomo<sup>d</sup>o primus edidit Victorius.

19. *Mors insequuta Gracchum est.*] Volebat Davisius *Gracchi*, frustra.

20. *Causa . . . aliqua morbi gravioris.*] I. e. quum quidem causa esset, credo, morbus aliquis gravior, non serpens emissus.

21. *Loquitur Agamemnon.*] Nontant viri docti memoria lapsum Ciceronem: nam Ulysses potius loquitur.

22. *Calchantis fata.*] Dicta, oracula.

23. *Vidimus . . . draconem . . . J. ut p. penetrabat.*] I. e. quum penetrabat; ne malles, quod habent alii libri, *pene-*

*traret.*

24. *Ubi tam teneros volucris matremque.*] Pro *tam* volebat Davisius *jam*. Contra Moserus interpretatur, *tam* teneros volucres, *quam* matrem; fortasse recte.

25. *Duro firmavit tegmina saxo.*] Restitui lectionem veterum editio-  
num *firmavit*, pro vulg. *formavit*; et illam monet Moserus in Addendis merito praferre *Butmann*. in *Lexilogi* i. p. 254., conferentem *Tibull.* ii. 5. 23., “Romulus aeternae nondum *firmaverat* urbis Moenia, consorti non habitanda Remo.” ubi perperam ple-  
rique *formaverat*; et *Claudian. R. P.* i. 236., “Devenere locum, Cereris quo tecta nitebant Cyclopum *firmata* manu.” *Tegmina saxo* autem dedit Davisius e codd., pro *tegmine saxe*.

Vidimus in mediis divõni vorsarier aris.  
 Tum Calchas haec est fidenti voce loquutus:  
 Quidnam torpentes subito obstupuistis Achivi?  
 Nobis haec portenta deūm dedit ipse creator,  
 Tarda et sera nimis, sed fama ac laude peremni.  
 Nam quot avis taetro mactatas dente videtis,  
 Tot nos ad Trojam belli exanclabimus annos,  
 Quae decumo<sup>26</sup> cadet, et poena satiabit Achivos.  
 Edidit haec Calchas: quae jam matura videtis.

Quae tandem ista auguratio est ex passeribus annorum potius, quam aut mensium aut dierum? cur autem de passerculis conjecturam facit, in quibus nullum erat monstrum; de draconे silet, qui, id quod fieri non potuit, lapideus dicitur factus? postremo, quid simile habet passer annis<sup>27</sup>? Nam de angue illo<sup>28</sup>, qui Sullae adparuit immolanti; utrumque memini, et Sullam, quum in expeditionem educturus<sup>29</sup> esset, immolavisse, et anguem ab ara exstisset, eoque die rem praecclare esse gestam, non haruspiciis consilio sed imperatoris.

**XXXI.** Atque haec ostentorum genera mirabile nihil habent, quae cum facta sunt, tum ad conjecturam aliqua<sup>30</sup> interpretatione revocantur<sup>31</sup>: ut illa tritici grana in os pueri Midae congesta; aut apes, quas dixisti in labris Platonis consedisse pueri, non tam mirabilia sint, quam conjecta belle: quae tamen vel ipsa falsa esse, vel ea quae praedicta sunt, fortuito cecidisse<sup>32</sup> potuerunt. De ipso Roscio potest illud quidem esse falsum, ut<sup>33</sup> circumligatus fuerit angui: sed, ut<sup>34</sup> in cunis fuerit anguis, non tam est mirum, in Solonio praesertim, ubi ad

26. *Decumo.*] Ita per u scribunt Harl. 3. Leidens. I., alias quem olim contulit P. Pithoeus.

27. *Quid simile habet passer annis?*] In voce *annis* Hottingero nec casus satis placet, et multo minus numerus; legendumque censem *anni*. Frustra. Sic autem Ciceronis *βραχυλογία* evolvenda est: *Quid simile habet passer anni, ut ex pluribus passeribus idem annorum numerus intelligatur?*

28. *Nam de angue illo.*] Vide i. 33

29. *Quum in expeditionem educturus esset.*] Nempe exercitum: vide ad *Sallust. Jug. 97.*, “At Jugurtha . . . ad Boeckum nuntios mittit: Quam primum in Numidiam adduceret.” ubi delevi copias.

30. *Aliqua interpretatione.*] Id est, opinor, alicujus interpretatione.

Frustra Moserus *ad conj. aliquam*, quod habet etiam Harl. I.

31. *Ad conjecturam . . . revocantur.*] Cf. *de Fin. ii. 13.*, “ad scientiam omnia revocare.” item *de Off. iii. 21.*, “ad veritatem revocare rationem.” *pro Domo 6.*, “rem ad rationem conjecturamque.” Pergit autem Marcus iis respondere, quae supra i. 36. 35. 33. 34. disseruit Quintus.

32. *Fortuito cecidisse.*] Harl. 3., sicuti Balliol., *accidisse, frustra:* cf. i. 32. extr., infra c. 52.

33. *Illud . . . ut—.*] Cf. c. 2. supra, “Magnificum illud . . . , ut . . . non egeant.”

34. *Ut in c. fuerit a., non tam est mirum.*] Cf. *pro Rosc. A. 41.*, “Non est verisimile, ut Chrysogonus horum literas adamarit.” Vide *Schelleri Praecept. p. 150.*

focum angues nundinari<sup>35</sup> solent. Nam quod haruspices responderunt, nihil illo clarior, nihil nobilior fore; miror, deos immortalis histrioni futuro claritatem ostendisse, nullam ostendisse Africano. Atque etiam a te Flaminiana ostenta collecta sunt: quod ipse<sup>36</sup> et equus ejus repente conciderit; non sane mirabile hoc quidem: quod evelli primi hastati signum non potuerit; timide fortasse signifer evellebat<sup>37</sup>, quod fidenter infixerat. Nam Dionysî equus quid adtulit admirationis, quod emerit e flumine? quodque habuit apis in juba? sed quia brevi tempore regnare coepit; quod acciderat casu, vim habuit ostenti. At Lacedaemoniis<sup>38</sup> in Herculis fano arma sonuerunt, ejusdemque dei Thebis valvae clausae subito se aperuerunt, ea que scuta, quae fuerant sublime fixa, sunt humi inventa. Horum quum fieri nihil potuerit sine aliquo motu; quid est cur divinitus ea potius quam casu facta esse dicamus?

XXXII. At in Lysandri statuae capite Delphis exstitit corona ex asperis herbis, et quidem subita<sup>39</sup>. Itane censes, ante coronam herbae<sup>40</sup> exstisset, quam conceptum esse<sup>41</sup> semen? Herbam autem asperam credo<sup>42</sup>, avium congestu, non humano satu. Jam quidquid in capite est, id coronae simile videri potest. Nam quod eodem tempore stellas aureas Castoris et Pollucis Delphis positas decidisse, neque eas usquam repertas esse dixisti; furum id magis factum quam deorum videtur. Simiae vero Dodonaeae improbitatem historiis Graecis mandatam esse demiror. Quid minus mirum, quam illam monstruosissimum bestiam urnam evertisse, sortis dissupavisse? Et<sup>43</sup> negant

35. *Nundinari.*] Lepida translatio est; quam frustra viri docti conjecturis aggrediuntur.

36. *Flaminiana . . . quod ipse—.*] Conf. Acad. iv. 30., "Haec Chrysippa sunt, ne ab ipso quidem dissoluta." adde c. 13. supra. Harl. I. delet a te.

37. *Evellebat.*] Conabatur evellere. Frustra codices nonnulli vellebat.

38. *Lacedaemoniis . . . arma sonuerunt.*] I. e. arma sonantia ostentum praebuerunt, sive significationem fecerunt.

39. *Et quidem subita.*] Vide ad i. 33.

40. *Coronam herbae.*] I. e. ex herba.

41. *Quam conceptum esse semen.*] Volebat Gruterus potius esset, frustra: cf. pro Ligar. I., "Habes . . . confidentem reum, sed tamen ita confidentem, se in ea parte fuisse, qua te,

Tubero, qua virum omni laude dignum, patrem tuum." et, quem locum bene contulit Moserus, cf. de Fin. iv. 20., "Negat, Platonem, si sapiens non sit, eadem esse in causa, qua tyrannum Dionysium. adde Minucii Felic. loca apud Wopkers. p. 234.

42. *Herbam autem asperam credo.*] Nempe exstisset. Omisi cum Davisio et Hottingero distinctionem post asperam: ex qua quid emolumenti percipi possit non video.

43. *Et negant historici.*] I. e. Atqui: cf. N. D. i. 33., "Tantum Epicuri hortus habuit licentiae! Et soleatis queri." de Senect. 9., "Quod equidem adhuc non amisi: et videtis annos." Orat. 47., "Nec vero reprehenderim 'Scripsere alii rem.' Et scripserunt esse verius sentio." adde Plin. Paneg. 14. 46.56., Tacit. Agric. 15. Juvenal. vii. 124.

historici Lacedaemoniis ullum ostentum hoc tristius accidisse. Nam illa praedicta<sup>44</sup> Veientium, si lacus Albanus redundasset, isque in mare fluxisset, Romam perituram; si repressus esset, Veios: ita<sup>45</sup> aqua Albana deducta ad utilitatem agri suburbani, non ad arcem urbemque retinendam. At paulo post audit a vox est monensis, ut providerent ne a Gallis Roma caperetur: ex eo Aio Loquenti aram in Nova Via consecratam. Quid ergo? Aius iste Loquens, quando<sup>46</sup> eum nemo norat, et<sup>47</sup> aiebat et loquebatur, et ex eo nomen invenit: posteaquam et sedem et aram et nomen invenit, obmutuit? Quod idem dici de Moneta potest: a qua, praeterquam de sue plena, quid umquam moniti sumus?

XXXIII. Satis multa de ostentis. Auspicia restant, et sortes eae, quae ducuntur, non illae, quae vaticinatione funduntur, quae oracula verius dicimus; de quibus tum dicemus, quum ad naturalem divinationem venerimus: restat etiam de Chaldaeis; sed primum auspicia videamus. Difficilis auguri locus<sup>48</sup> ad contra dicendum. Marso fortasse; sed Romano facillimus: non enim sumus ii nos augures, qui avium reliquorumve signorum observatione futura dicamus. Et tamen credo Romulum, qui urbem auspicato<sup>49</sup> condidit, habuisse opinionem, esse in providendis rebus augurandi scientiam<sup>50</sup>: (errabat enim multis in rebus antiquitas,) quam<sup>51</sup> vel usu jam vel doctrina vel vetustate immutatam videmus. Retinetur autem et ad opinionem volgi, et ad magnas utilitatis reipublicae<sup>52</sup>, mos, religio, disciplina, jus

44. *Nam illa praedicta Veientium.]* Puta quod attinet ad. Nisi illa praedicta potius prima positione esse voluerat Cicero, deinde per tam multa interposita infra anacoluthon admisit. Cf. autem i. 44.

45. *Ita aqua Albana deducta.]* Laccunam esse hic, censebat Lambinus: quam ita expleri voluit Davisius, ut tres voces iterum perscriberentur: *ita aqua Albana deducta. Aqua Albana deducta ad utilitatem etc. Mallem sic: ita aquam Albanam deductam esse: nempe est aqua Albana deducta ad utilitatem etc.*

46. *Quando eum nemo norat.]* Dav. ex suis cum: sed quando tuentur quinque apud Moserum, qui rariore quidem usu pro tum quum, vel eo tempore quo positum monet, conferens de *L. Agrar.* ii. 16., "Tum, quando legatos Tyrum misimus."

47. *Et aiebat et loquebatur.]* Geminam copulam edidit Davisius; et hanc

distinctionem, quae nimis arguta Hottingero videbatur, ad nomen istud irridendum facere censem Mose-rus.

48. *Auspicia restant . . . Difficilis auguri locus.]* Cf. c. I. supra, "Magnus locus." Haec autem, "Difficilis auguri l. ad c. d." sunt utique quasi Quinti fratris.—Infra Marso: cf. i. 58.

49. *Auspicato.]* Cf. de Rep. ii. 9.

50. *Esse in prov. rebus aug. scientiam.]* Esse augurandi scientiam, quae in providendis rebus versaretur. Nempe contracta est oratio, ut alibi.

51. *Quam . . . immutatam vide-mus.]* Nempe opinionem; ut recte intelligit Rathius. At nimis propere Davisius Clerici conjecturam invexit: *Errabat m. in rebus antiq., quas . . . immutatas videmus.*

52. *Ad magnas utilitatis reipubli-cae.]* Vide ad c. 18. supra. Harl. I. Retinentur.

auguriūm<sup>53</sup>, collegī auctoritas. Nec vero non omni supplicio digni P. Clodius, L. Junius, consules, qui contra auspicia navi-garunt: parendum enim fuit<sup>54</sup> religioni, nec patrius mos tam contumaciter repudiandus. Jure igitur alter populi judicio damnatus est, alter mortem sibi ipse conscivit. Flaminius non paruit auspicis; itaque<sup>55</sup> periit cum exercitu. At anno post Paullus paruit: num minus<sup>56</sup> cecidit in Cannensi pugna cum exercitu? Et enim, ut<sup>57</sup> sint auspicia, quae nulla sunt; haec certe, quibus utimur, sive tripudio<sup>58</sup> sive de coelo, simulacula sunt auspiciorum, auspicia nullo modo.

XXXIV. Q. FABI, TE MIHI IN AVSPICIO ESSE VOLO<sup>59</sup>: re-spondet, AVDIVI. Hic apud majores nostros adhibebatur peritus, nunc quilibet<sup>60</sup>. Peritum autem esse necesse est eum, qui, silentium quid sit, intellegat: id enim silentium<sup>61</sup> dicimus in auspicis, quod omni vitio caret. Hoc intellegere<sup>62</sup>, perfecti auguris est. Illi autem, qui in auspicium adhibetur, quum ita imperavit is qui auspicatur, DICITO, SI SILENTIVM ESSE VIDE-BITVR; nec suspicit nec circumspicit: statim respondet, SILENTIVM ESSE VIDERI. Tum ille, DICITO, SI PASCVNTVR. PASCVNTVR. Quae aves? aut ubi? Adtulit, inquit<sup>63</sup>, in cavea pullos is, qui

53. *Jus auguriūm.*] Sic, pro *auguriūm*, Davisius cum Palatinis: alii *jus augurum*.

54. *Parendum enim fuit religioni.*] Contulit Kayserus *de Amic.* 16., "Hoc quidem praeceptum ad tollendam amicitiam valet. Illud potius praecipiendum fuit, ut—." Bene hoc quidem: quod vero ait idem, *parendum fuit pro p. fuisse esse dictum*, minus equidem assentior. Magis mihi in promtu est illud animadvertere, inter *fuit et erat* in hujusmodi structura quid intersit. Nempe id faciendum *erat*, quod etiam factum est; contra id faciendum *fuit*, quod factum non est, sed quod fieri oportuit. Supra Davisius *navigaverunt*. Ceterum ad rem cf. *N. D.* ii. 3.

55. *Itaque periit—.*] I. e., atque ita: conf. de *Inv.* ii. 57., "Sive ve-lint . . . famen perpeti, atque ita pe-rire." de *Fato* 3., "Daphitae fatum fuit de equo cadere, atque ita perire." Iterum *itaque* infra c. 41.

56. *Num minus cecidit—?*] Cf. *Minuc. Felic.* 26., "Quid Regulus? Nonne auguria servavit et captus est?" Scribunt autem Harl. 1. et 2. *Paulus*, simplici l.

57. *Ut sint auspicia, . . . haec certe*

*... nullo modo.*] Conf. de *Fin.* i. 4., "Nam, ut sint illa vendibilia, haec uberiora certe sunt." adde *Tusc.* i. 39., *Phil.* x. 2., xii. 3., pro *Ligar.* 9. Supra i. 30., *ut—, tamen—.*

58. *Sive tripudio sive de coelo.*] *Sive tripudio facta, sive servata de coelo.*

59. *Q. Fabi, te mihi in auspicio esse volo.*] Abrupte ad exemplum formulae transit. Bene autem contulit Moserus *de Rep.* ii. 9., "qui sibi es-sent in auspicis." ubi frustra voluit Maius adessent.

60. *Nunc quilibet.*] Harl. 1. *nunc quid iubet*; 3. n. *quidem iubet*: fortasse scribendum est *nunc quem lu-bet*, sc. adhiberi.

61. *Id enim silentium dicimus.*] Festus apud Davisium: "Sinistrum in auspicando significare ait Ateius Capito laetum et prosperum auspi-cium; at silentium, ubi dumtaxat va-cet vitio."

62. *Hoc intellegere.*] Nempe, ali-quod auspicium vitio carere.

63. *Adtulit, inquit.*] Inquit aliquis. Vide, monente Hottingero, *Gronov.* ad *Liv.* xxxiv. 3., *Bentl.* ad *Hor. Serm.* i. 4. 97.

ex eo ipso nominatur pullarius. Hae sunt igitur aves internuntiae Jovis: quae pascantur necne, quid refert? Nihil ad auspicia: sed quia, quum pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere, et terram pavire<sup>64</sup>; terripavium primo, post terripodium dictum est: hoc quidem<sup>65</sup> jam tripodium dicitur. Quum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripodium solistimum nuntiant<sup>66</sup>.

**XXXV.** Ergo hoc auspicium divini quidquam habere potest, quod tam sit coactum<sup>67</sup> et expressum? quo antiquissimos augures non esse usos, argumento est, quod decretum collegi vetus habemus, omnem avem tripodium facere posse. Tum igitur esset auspicium, si modo esset ei liberum se ostendisse<sup>68</sup>; tum avis illa videri posset interpres et satelles Jovis: nunc vero inclusa in cavea et fame enecta si in offam pultis invadit<sup>69</sup>, et si aliquid ex ejus ore cecidit, hoc tu<sup>70</sup> auspicium, aut hoc modo Romulum auspicari solitum putas? Jam de coelo servare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur? nunc imperant pullario: ille renuntiat. Fulmen sinistrum, auspicium optumum habemus ad omnis res, praeterquam ad comitia<sup>71</sup>: quod quidem institutum reipublicae causa est, ut comitiorum<sup>72</sup>, vel in judiciis populi, vel in jure legum, vel in creandis magistratibus, principes civitatis essent interpres. At Ti. Gracchi literis Scipio et Figulus, Coss.<sup>73</sup>, quum augures judicassent eos vitio creatos esse, magistratu se abdicaverunt. Quis negat augurum disci-

64. *Terram pavire.]* H. e. ferire, ut interpretatur Festus.

65. *Hoc quidem jam tripodium dicitur.]* Legendum censem Davisius hocque idem jam. Frustra: primum enim nusquam, opinor, *hocque* apud Ciceronem exstat: deinde non incommoda est particula *quidem*, quoniam *tripodium* non statim ex *terripavium*, sed ex illa antiqua forma jam corrupta, si Ciceroni credere volumus, ductum est. Verbum autem *dicitur* omittunt, sicuti plures libri apud alios, etiam Harl. 1. et 3. (in secundo lacuna est); qua voce abjecta, illa *hoc quidem jam tripodium* parenthetice intercludenda erunt.

66. *Tum auspicanti . . . nuntiant.]* Davisius ex ed. Vict. nuntiat, quia auspicanti unus tantum adesset; nimis ille sollicite. Nempe quotidie multi auspicabantur, multi nuntiabant, alias post aliud.

67. *Coactum.]* Cf. i. 15.

68. *Se ostendisse.]* Animadverte tempus perfectum ἀορίστως accipendum. Contulit Kayserus *Liv.* ii. 24, “Nec posse . . . bello *praevertisse* quidquam.” *Hor. Od.* iii. 4. 51., “Tendentes opaco Pelion *imposuisse* Olympo.”

69. *Invadit, et . . . cecidit.]* Corrigi vult Davisius *invasit*; cui opponit Hotting. illud c. 19., “Quid enim proficit, quum . . . jecit?”

70. *Hoc tu auspicium—?] Cf. N. D. i. 24., “Hanc tu opinionem, C. Vellei, usque ad hanc aetatem perduxisti?”*

71. *Praeterquam ad comitia.]* Conf. c. 18. supra.

72. *Comitiorum . . . interpres.]* Nempe, haberet ea, an differri, oportet.

73. *Scipio et Figulus, Coss., quum —.]* Recte ita Hottinger.: nam codices fere *S. et F.*, quos cum augures; sed idem mendum *quos pro cos. jam*

plinam esse? divinationem nego. At haruspices divini: quos quum Ti. Gracchus propter mortem repentinam ejus, qui in praerogativa referenda subito concidisset, in senatum introduxisset; non justum rogatorem<sup>74</sup> fuisse dixerunt. Primum vide, ne in eum dixerint, qui rogator centuriae fuisset; is enim erat mortuus. Id autem, sine divinatione, conjectura poterant<sup>75</sup> dicere: deinde fortasse casu; qui nullo modo est ex hoc genere tellendus. Quid enim scire Etrusci haruspices aut de tabernaculo recte capto, aut de pomoerii jure potuerunt? Evidem adsentior C. Marcelllo potius quam App. Claudio, (qui ambo mei collegae fuerunt) existumoque jus augurum, etsi divinationis opinione<sup>76</sup> principio constitutum sit, tamen postea reipublicae causa conservatum ac retentum.

XXXVI. Sed de hoc loco<sup>77</sup> plura in aliis: nunc hactenus. Externa<sup>78</sup> enim auguria, quae sunt non tam artificiosa quam superstitiosa, videamus. Omnibus fere avibus utuntur; nos admodum paucis: alia illis sinistra sunt, alia nostris. Solebat ex me Deiotarus percunctari nostri augurii disciplinam, ego ex illo sui. Dii immortales! quantum differebat! ut quaedam essent etiam contraria. Atque ille his semper utebatur: nos, nisi dum a populo auspicia accepta habemus, quam multum<sup>79</sup> iis utimur? Bellicam rem administrari maiores nostri nisi auspicio noluerunt. Quam multi anni sunt, quum bella a proconsulibus et a propraetoribus administrantur<sup>80</sup>, qui auspicia non habent? Itaque nec amnis transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur: nam ex acuminibus<sup>81</sup> quidem, quod totum auspicium militare est, jam M. Marcellus ille quinques consul totum

supra c. 33. ostendit Harl. I. Legunt autem cos. Harl. 3. Oxon. U, alii apud Moserum. Harl. 3., sicuti etiam Creuzeri codex, *Scipio et C. Figulus*. Ceterum res jam fuse narrata est, *N. D.* ii. 4.

74. *Non justum rogatorem fuisse.*] Veteres editi ante Gruterum *rogatorem comitiorum*: sed vocem *comitiorum* nec codex ullus fere agnoscit, nec, si eam h. l. adhibuisset Cicero, potuisset sic pergere: "vide, ne in eum dixerint, qui rogator *centuriae* fuisset."

75. *Conjectura poterant dicere.*] Dedit e conj. Davisius *poterant* pro vulg. *poterat*, ob sequens *casu*: nunc illud in codd. tribus reperit Moserus.

76. *Divinationis opinione.*] H. e., opinione, esse revera aliquam divinationem. Cf. *N. D.* i. 12, "Nonne

deum omnino ita tollit, ut nullam *opinionem ejus* reliquam faciat?"

77. *De hoc loco.*] Vide ad i. 4. sub fin.—*Plura in aliis*: obiter, quum de aliis locis dicam.

78. *Externa . . . videamus.*] I. e. *externorum*: nempe sequitur, "Omnibus fere avibus utuntur."

79. *Quam multum iis utimur?*] I. e. *quantulum*: ceterum ad rem, cf. *N. D.* ii. 3. s. f.

80. *Quam multi anni sunt, quum administrantur.*] De usu praesentis, vide nos ad *N. D.* ii. 60.

81. *Nam ex acuminibus.*] Acumina intelligunt ferrata hastarum aliorumque telorum militarium: et hoc auspicium ad vim electricam referendum censem Hottinger., conferens prodigia apud *Livium* xxii. l., xlivi. 13.

omisit, idem imperator, idem augur optumus. Ubi ergo avium divinatio? quae, quoniam ab iis qui auspicia nulla habent bella administrantur, ab urbanis<sup>82</sup> retenta videtur, a bellicis esse sublata. Et quidem ille dicebat, si quando rem agere<sup>83</sup> vellet, ne impediretur<sup>84</sup> auspiciis, lectica opera facere iter se solere. Huic simile est, quod nos augures praecipimus, ne juge<sup>85</sup> auspicium obveniat, ut jumenta jubeant dijungere. Quid est aliud nolle moneri a Jove, nisi efficere, ut aut ne fieri possit auspicium, aut, si fiat, videri?

**XXXVII.** Nam illud admodum ridiculum, quod negas Deiotarum, auspiciorum, quae sibi ad Pompeium proficiscenti<sup>86</sup> facta sint, poenitere<sup>87</sup>, quod fidem sequutus amicitiamque populi Romani, functus sit officio: antiquorem<sup>88</sup> enim sibi fuisse laudem et gloriam, quam regnum et possessiones suas. Credo id quidem; sed hoc<sup>89</sup> nihil ad auspicia: nec enim ei cornix canere potuit, recte eum facere, quod populi Romani libertatem defendere pararet. Ipse hoc sentiebat<sup>90</sup>, sicuti sensit. Aves eventus significant aut adversos, aut secundos. Virtutis<sup>91</sup> auspiciis video esse usum Deiotarum: quae vetat spectare<sup>92</sup> fortunam, dum praestetur fides. Aves vero si prosperos eventus ostenderunt, certe fefellerunt. Fugit e proelio cum Pompeio: grave tempus. Discessit<sup>93</sup> ab eo: luctuosa res. Caesarem eodem tempore hostem et hospitem<sup>94</sup> vidit: quid hoc tristius? Is

82. *Ab urbanis . . . a bellicis.]* Magistratibus, intelligit Moserus.

83. *Rem agere.]* Vetus Poëta apud Cic. *ad Fam.* ii. 9., “quantam egeris rem.” adde ipsum *ibid.* iii. 1.

84. *Ne impediretur auspiciis.]* Plinius *H.N.* xxviii. 4. apud Davisium, “In augurum certe disciplina constat, neque diras neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes observare se ea negaverint.”

85. *Juge auspicium.]* Festus: “Est, quum junctum jumentum stercus fecit.”

86. *Quae sibi ad P. proficiscenti facta sint.]* Harl. I. et 3. (lacuna est in secundo), quatuor apud Moserum, *quae sibi, dum ad P. proficisceretur;* quae lectio, ut a verbis Quinti supra i. 15. discedit, ita verior esse potest. Scripsit autem Moserus *sint pro sunt* e codd. quinque: accedit Harl. 3.

87. *Negas . . . poenitere.]* Multi codices *non poenitere:* et poterat Cicero superius verbum, tam multis in-

terpositis, parum respicere, et perinde negandi particulam immitttere, quasi afferebas aut tale quid supra posuis-set.

88. *Antiquorem.]* Cariorem, potio-rem: exempla vide apud Nizolium. *Mox et gloriam:* utique veram illam, quae potest etiam egenum comitari.

89. *Sed hoc nihil ad auspicia.]* Delevit Moserus *hoc*, jubente Goerenzio ad *de Leg.* i. 2.; cujus loci alia ratio est.

90. *Sentiebat, sicuti sensit.]* I. e. jam tum atque ab initio sentiebat, scitum etiam postea sensit.

91. *Virtutis auspiciis.]* Nempe Εἰς οἰωνὸς ἀριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

92. *Spectare fortunam.]* Plures libri *exspectare;* sed praestat vulgata.

93. *Discessit ab eo.]* Cf. *pro Deiot.* 5., “Pharsalico proelio facto, a Pompeio discessit; spem infinitam perse-qui noluit.”

94. *Eodem tempore hostem et hos-pitem.]* Cf. *Ovid. Heroid.* xvii. 10.,

quum ei Trogmorum<sup>95</sup> tetrarchiam eripuisse et asseclae suo Pergameno nescio<sup>96</sup> cui dedisset, eidemque detraxisset Armeniam a senatu datam; quumque ab eo magnificentissimo hospitio acceptus esset; spoliatum reliquit et hospitem et regem. Sed labor<sup>97</sup> longius: ad propositum revertar. Si eventa quaerimus, quae exquiruntur avibus; nullo modo prospera Deiotaro: sin officia; a virtute ipsius, non ab auspiciis petita sunt.

XXXVIII. Omitte igitur litum Romuli, quem in maxumo incendio negas potuisse comburi: contemne cotem Attī Navī. Nihil debet esse in philosophia commentitiis fabellis loci. Illud erat philosophi, totius augurii primum naturam ipsam videre, deinde inventionem, deinde constantiam. Quae est igitur natura, quae volucris huc et illuc passim vagantis efficiat<sup>98</sup>, ut significant aliquid, et tum vetent agere, tum jubeant, aut cantu aut volatu? cur autem aliis a laeva, aliis a dextra datum est avibus, ut ratum auspicio facere possint? quo modo autem haec, aut quando, aut a quibus inventa dicemus? Etrusci tamen<sup>99</sup> habent exaratum puerum auctorem disciplinae suae: nos quem? Attiumne Navium? At aliquot annis antiquior<sup>1</sup> Romulus et Remus, ambo augures, ut accepimus. An Pisidarum, aut Cilicum, aut Phrygum ista inventa dicemus? Placet igitur, humanitatis expertis habere<sup>2</sup> divinitatis<sup>3</sup> auctores?

XXXIX. At omnes reges, populi, nationes utuntur auspiciis. Quasi vero quidquam sit tam valde, quam nihil sapere, volgare: aut quasi tibi ipsi in judicando placeat multitudo<sup>4</sup>? Quotus quisque est qui voluntatem neget esse bonum? plerique

“Qui sic intrabas, hospes an hostis eras?” adde ejusd. *Fast. ii.* 787., et *Liv. i.* 58.

95. *Trogmorum.*] Varie hoc nomen, ut sit, in codicibus corruptum est; qui in talibus rebus ex historia emendandi sunt: quod h. l. fecerunt Brodaeus, Gronovius, Davisius.

96. *Pergameno nescio cui.*] Erat is Mithridates Pergamenus: hunc vero non tam obscurum hominem, sed etiam regio genere ortum, regiis disciplinis educatum fuisse scribit *Hirtius de B. Alex.* c. 78. Neque satis candido animo Nostrum haec in Caesarem scripsisse, arguit Davisius.

97. *Sed labor longius.*] Cf. *de Leg. i. 19.* apud Moserum, “Quin lababar longius, nisi me retinuisse.”

98. *Quae volucris . . . efficiat, ut . . .*] I. e., quae efficiat, ut volucres—. Cf. *Sallust. Jug. 14.*, “Jugurtha . . .

*extorrem . . . efficit, ut ubi vis tutius quam in meo regno, forem.” ubi plura: adde *N. D. i.* 10.*

99. *Etrusci tamen—.*] Quamquam Etrusci. Ad rem, vide supra c. 23.

1. *Antiquior R. et R., ambo augures.*] Volebat Dav. *antiquiores*; frustra: contulit Moserus *Caes. B.C. i. 2.*, “*Intercedit M. Antonius, Q. Cassius, tribuni plebis.*”

2. *Placet igitur, . . . habere—?*] I. e. nos habere; ne mallet quis *haberi*: vide ad *Sallust. Catil. 51.* sub fin.

3. *Divinitatis auctores.*] I. e. *divinationis*, ut est *divinus pro divinans* supra i. 28. 30. 49.

4. *Quasi . . . placeat multitudo.*] Δόξα τῶν πολλῶν, interpretatur Kayserus, verbis Platonis in Critone. Huc facit etiam nota vox Phocionis, apud Plutarchum, opinor.

etiam summum bonum dicunt. Num igitur eorum frequentia Stoici de sententia deterrentur? aut num plerisque in rebus sequitur eorum auctoritatem multitudo? Quid mirum igitur, si in auspiciis et in omni<sup>5</sup> divinatione imbecilli animi superstitionis ista concipient<sup>6</sup>, verum dispicere non possint. Quae autem est inter augures conveniens et conjuncta constantia? Ad nostri augurii consuetudinem dixit Ennius,

Quum tonuit laevum bene tempestate serena.

At Homericus Ajax<sup>7</sup> apud Achillem querens de ferocitate Trojanorum nescio quid, hoc modo nuntiat:

Prospera Juppiter his dextris fulgoribus edit.

Ita nobis sinistra<sup>8</sup> videntur, Graiis et barbaris dextra, meliora. Quamquam haud ignoro, quae bona sint, sinistra<sup>9</sup> nos dicere, etiam si dextra sint. Sed certe nostri sinistrum nominaverunt, exterisque dextrum, quia plerumque melius id videbatur. Haec quanta dissensio est? Quid, quod aliis avibus utuntur, aliis signis: aliter observant, alia respondent. Non necesse est fateri, partim horum errore suscepta<sup>10</sup> esse, partim superstitione, multa fallendo?

**XL.** Atque his superstitionibus non dubitasti etiam omina adjungere. Aemilia Paullo, Persam perisse; quod pater omen accepit: Caecilia sororis filiae sedis suas tradere. Jam illa<sup>11</sup>: *Favete linguis, et praerogativam, omen comitiorum.* Hoc est, ipsum esse contra se copiosum et disertum. Quando enim ista observans, quieto et libero animo esse poteris, ut ad rem gerendam non superstitionem habeas, sed rationem ducem? Itane? si quis aliquid ex sua re atque ex suo sermone dixerit, et ejus verbum aliquod apte ceciderit ad id quod ages aut cogitabis, ea

5. *Si in auspiciis et in omni divinatione.]* Ita recte Dav. e codd. pro *si in omnibus ausp. et omni d.*

6. *Si . . . concipient, verum dispicere non possint?]* Male Gruterus cum Victorio, *si . . . concipient?* Verum dispicere non possunt. Urbanum autem censem Moserus modum subjunctivum, quum res certa posset indicativum ferre.

7. *Homericus Ajax.]* Immo Ulysses. Iterum ergo memoria labitur Cicero, ut supra c. 30. Est autem locus *It. ix. 236.*

8. *Nobis sinistra . . . Graiis dextra.]* Nempe Romani meridiem spec-

tabant, Graeci septem triones: itaque, quae fausta auspicia ab oriente fiebant, Romanis fiebant a sinistra, Graecis a dextra.

9. *Sinistra nos dicere.]* Nempe sensu translatio; i. e. fausta.

10. *Partim horum errore suscepta esse.]* Vulg. *susceptum:* correxit Rathius. Infra c. 55., “Quorum partim ficta aperte, partim effutita temere.”

11. *Jam illa.]* Haec opinor superioribus illis *omina adjungere apponenda esse*, etsi recta oratio intercedit: vide ad *N. D. i. 37. superiorem aër.*

res tibi aut timorem adferet aut alacritatem? Quum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret<sup>12</sup>, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, *Cauneas*<sup>13</sup> clamitabat. Dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, *caveret ne iret*: non fuisse peritrum, si omni paruisset. Quae si suscipiamus<sup>14</sup>, pedis offensio nobis et abruptio corrigiae et sternutamenta erunt observanda. Sortes restant et Chaldae, ut ad vatis veniamus et ad somnia.

XLI. Dicendum igitur putas de sortibus? Quid enim sors est? idem propemodum, quod micare<sup>15</sup>, quod talos jacere, quod tesseras: quibus in rebus temeritas et casus, non ratio nec consilium valet. Tota res est inventa fallaciis, aut ad quaestum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. Atque, ut in haruspicina fecimus, sic videamus clarissimarum sortium quae tradatur inventio. Numerum Suffucium<sup>16</sup> Praenestinorum monumenta declarant, honestum hominem et nobilem, somniis crebris, ad extremum etiam minacibus, quum juberetur certo in loco silicem caedere, perterritum visis, irridentibus suis civibus, id agere coepisse: itaque perfracto saxo sortis erupisse in robore insculptas priscarum literarum notis. Is est hodie locus septus religiose propter Jovis pueri, qui lactens cum Junone Fortunae in gremio sedens, mammam<sup>17</sup> adpetens, castissime colitur a matribus. Eodemque tempore, in eo loco, ubi Fortunae nunc sita<sup>18</sup> est aedes, mel ex olea fluxisse dicunt, haruspicesque dixisse, summa nobilitate illas sortis futuras, eorumque jussu ex illa olea arcam esse factam, eoque<sup>19</sup> conditas sortis, quae hodie Fortunae monitu tolluntur<sup>20</sup>. Quid igitur in his potest esse certi, quae, Fortunae monitu, pueri manu miscentur atque ducentur? quo modo autem istae positae in illo loco? quis robur illud cecidit, dolavit, inscripsit? Nihil est, inquiunt, quod deus efficere non possit. Utinam sapientis Stoicos effecisset, ne omnia cum superstitiosa sollicitudine et miseria crederent!

12. *Imponeret.*] Sic absolute etiam ad Att. i. 10.; adde Liv. xxii. 19., Caes. B. C. iii. 6.

13. *Cauneas.*] Nempe illud fere *cave ne eas sonabat.* Cf. Plin. H. N. xv. 21.

14. *Suscipiamus.*] Cf. i. 4. s f.—Mox scribit Dav. e cod. Paris. *sternumenta.*

15. *Micare.*] Id est digitis sortiri.

16. *Numerum Suffucium.*] De hoc viro vide, monente Mosero, Rupert. ad Juv. xiv. 88. Mox junge, quum crebris somniis, ad extremum etiam minacibus, juberetur—.

17. *Mammam adpetens.*] Post mammam addunt codices aliquot *notis*; quae vox ex superioribus videtur huc recidisse.

18. *Ubi Fortunae nunc sita est aedes.*] Gruterus ex Palatinis *ubi Fortunae nunc sit aedes;* quomodo etiam Davisii codices: sed alteram lectio nem recte, opinor, e codd. suis pluribus et edd. vet. restituit Moserus.

19. *Eaque conditas s.*] Sic plures libri, etiam nostri, non *eaque*, ut vulgo: vide ad Sallust. B. J. c. 75.

20. *Tolluntur.*] Mox se ipse interpretatur.

Sed hoc quidem genus divinationis vita<sup>21</sup> jam communis expolit. Fani pulchritudo et vetustas Praenestinarum etiam nunc retinet sortium nomen<sup>22</sup>; atque id in volgus: quis enim magistratus, aut quis vir illustrior utitur sortibus? ceteris vero in locis sortes plane refrixerunt<sup>23</sup>. Quod<sup>24</sup> Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum, nusquam se fortunatorem, quam Praeneste, vidisse Fortunam.

**XLII.** Ergo hoc divinationis genus omittamus. Ad Chaldaeorum<sup>25</sup> monstra veniamus: de quibus Eudoxus Platonis auditor, in astrologia, judicio doctissimumorum hominum, facile princeps<sup>26</sup>, sic opinatur, id quod scriptum reliquit, "Chaldaeis in praedictione et in notatione cujusque vitae ex natali die minime esse credendum." Nominat etiam Panaetius, qui unus e Stoicis astrologorum praedicta rejicit, Archelaum<sup>27</sup> et Cassandrum, summos astrologos illius aetatis qua erat ipse, quem in ceteris astrologiae partibus excellerent, hoc praedictionis genere non usos. Scylax Halicarnasseus, familiaris Panaetii, excellens in astrologia, idemque in regenda sua civitate princeps, totum hoc Chaldaicum praedicendi genus repudiavit. Sed, ut ratione utamur, omissis testibus, sic isti disputant, qui haec Chaldaeorum natalitia praedicta defendunt:—Vim quamdam esse aiunt signifero in orbe, qui Graece ζωδιακὸς dicitur, talem, ut ejus orbis unaquaeque pars, alia alio modo, moveat immutetque coelum, perinde ut quaeque stellae in iis finitumisque partibus sint quoque tempore; eamque vim varie moveri ab iis sideribus quae vocantur errantia. Quum autem in eam ipsam partem orbis venerint, in qua sit ortus ejus qui nascatur, aut in eam, quae conjunctum aliquid habeat aut consentiens; ea triangula illi et quadrata nominant. Et enim quum tempore<sup>28</sup> anni tempestatumque coeli conversiones commutationesque tantae fiant accessu stellarum et recessu; quumque ea vi solis efficiantur, quae videmus; non verisimile solum, sed etiam verum esse

21. *Vita communis.*] Cf. i. 39. s. f.

22. *Retinet sortium nomen.*] Utique quo minus cum usu id ipsum pereat.

23. *Refrixerunt.*] Sic saepe translate: cf. *ad Att.* ii. 1., "Quod de Agraria lege quaeris, sane jam videatur *refrixisse*."

24. *Quod ... scribit dicere solitum, nusquam se.*] Cf. *N. D.* ii. 9., "Quod quidem Cleanthes ... docet, quanta vis insit—." ubi plura.

25. *Ad Chaldaeorum monstra.*] Supra i. 42.

26. *In astrologia . . . princeps.*] Cf. *Brut.* 41., "in jure civili prin-

ceps."

27. *Archelaum.*] Multi libri *Archialum*: quomodo etiam edidit Vici torius.

28. *Quum tempore anni tempestatumque.*] Id est, arbitror, justo quoque atque opportuno tempore anni tempestatumque. Ita certe licet, opinor, codicum lectionem interpretari; neque dum Hottingeri conjecturam *temporum recipio*. Ad hanc vero confirmandam, quoniam sic jungendum erit *tempestatum coeli*, debebat vir ille *Lucretium afferre* iv. 169., "liquidissima coeli Tempestas."

censent, perinde<sup>29</sup>, utcumque temperatus sit aér, ita pueros orientis animari atque formari, ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitæ, casus cujusque eventusque fingi.

**XLIII.** O delirationem incredibilem! non enim omnis error stultitia est dicenda<sup>30</sup>. Quibus etiam Diogenes Stoicus concedit aliquid, ut<sup>31</sup> praedicere possint dumtaxat quali quisque natura, et ad quam quisque maxume rem aptus futurus sit. Cetera, quae profiteantur, negat ullo modo posse sciri: et enim geminorum formas esse similis, vitam atque fortunam plerumque disparem. Procles et Eurysthenes, Lacedaemoniorum reges<sup>32</sup>, gemini fratres fuerunt. At hi<sup>33</sup> nec totidem annos vixerunt; anno enim Procli vita brevior fuit: multumque is fratri rerum gestarum gloria praestitit. At ego id ipsum, quod vir optimus Diogenes Chaldaeis, quasi quadam prævaricatione, concedit, nego posse intellegi. Et enim quum, ut ipsi dicunt, ortus nascentium luna moderetur, eaque animadvertiscant et notent sidera natalitia Chaldaeis, quaecumque lunae juncta videantur; oculorum fallacissimo<sup>34</sup> sensu judicant ea, quae ratione atque animo videre debebant. Docet enim ratio mathematicorum, quam istis notam esse oportebat, quanta humilitate luna feratur, terram paene contingens; quantum<sup>35</sup> absit a proxima Mercurii stella, multo autem longius a Veneris; deinde alio intervallo distet a sole; cuius lumine collustrari putatur. Reliqua vero tria intervalla, infinita et immensa, a sole ad Martis, inde ad Jovis, ab eo ad Saturni stellam, inde ad coelum ipsum, quod extremum atque ultimum mundi est. Quae potest igitur contagio ex infinito paene intervallo pertinere ad lunam, vel potius ad terram?

**XLIV.** Quid? quum dicunt id quod iis dicere necesse est, omnis omnium ortus, quicumque gignantur in omni terra quae incolatur, eosdem esse, eademque omnibus, qui eodem statu

29. *Perinde, utcumque . . . , ita—.]*  
Cf. pro *Claud. 25.*, “Nam, perinde ut opinio est de eujusque moribus, ita, quid ab eo factum et non factum sit, existimari potest.”

30. *Non e. omnis error . . . dicenda.]*  
Satis nota attractio est: cf. *Terent. Phorm. i. 2. 44.*, “*Paupertas mihi onus visum est et miserum et grave.*”

31. *Concedit aliquid, ut—.]* Vide ad c. 28. extr. supra. Infra Davisius ex uno *qualis quisque naturae*, frustra.

32. *L. reges.]* Harl. 1. et 2. delent reges.

33. *At hi nec totidem—.]* Pronomen *hi* delevit Davisius, frustra.

Mox *Procli* pro antiquo genitivo accipe. De copulis *nec —, — que —*, vide ad i. 32. supra. Harl. 1. delet *gestarum*.

34. *Oculorum fallacissimo sensu.]*  
I. e. oculorum (qui fallacissimus) sensu.

35. *Quantum absit . . . , multo autem longius . . . , deinde alio intervallo—.]* I. e. *quam multum* a proxima stella, quae est Mercurii; *quam multo* autem longius a Veneris; deinde *quam* alio intervallo distet a sole. Conf. *Florum iii. 23.*, “*Sed quantum lateque fax illius motus . . . exarsit!*” i. e. *quam multum* *quam lateque*.—Infra Harl. 1. *putetur*.

coeli et stellarum nati sint, accidere necesse esse; nonne ejusmodi sunt, ut ne coeli quidem naturam interpretes istos coeli nosse adpareat? Quum enim illi orbes, qui coelum quasi medium dividunt et adspectum nostrum definiunt, (qui<sup>36</sup> a Graecis ὄργαντες nominantur, a nobis *finientes* rectissime nominari possunt) varietatem maxumam habeant, aliique in aliis locis sint; necesse est, ortus occasusque siderum non fieri eodem tempore apud omnis. Quod si eorum vi coelum modo hoc, modo illo modo<sup>37</sup> temperatur: qui potest eadem vis esse nascentium, quum coeli tanta sit dissimilitudo? In his locis quae nos incomplimus, post solstitium Canicula exoritur, et quidem aliquot diebus; apud Troglodytas, ut scribitur, ante solstitium: ut, si jam<sup>38</sup> concedamus, aliquid<sup>39</sup> vim coelestem ad eos qui in terra gignuntur pertinere, confitendum sit illis, eos, qui nascuntur eodem tempore, posse in dissimilis incidere<sup>40</sup> naturas propter coeli dissimilitudinem. Quod minime illis<sup>41</sup> placet: volunt enim illi, omnis eodem tempore ortos, qui ubique sint nati, eadem conditione nasci.

XLV. Sed quae tanta dementia est, ut, in maxumis motibus mutationibusque coeli, nihil intersit<sup>42</sup>, qui ventus, qui imber, quae tempestas ubique sit? quarum rerum in proxumis locis tantae dissimilitudines saepe sunt, ut alia Tusculi<sup>43</sup>, alia Romae eveniat saepe tempestas; quod, qui navigant, maxume animationes advertunt, quum in flectendis<sup>44</sup> promontoriis ventorum mutationes maxumas saepe sentiant<sup>45</sup>: haec igitur quum sit tum serenitas, tum perturbatio coeli; estne sanorum hominum, hoc

36. *Qui...definiunt, qui...nominantur.]* De geminato relativo vide ad i. 54.

37. *Modo hoc, modo illo modo.]* Nota in voce *modo* tam insubide inculcata scriptoris negligentiam. Mox eadem vis: nempe vitalis.

38. *Si jam concedamus.]* I. e. si etiam, vel etiam si: cf. *Tusc.* i. 22., *ad Att.* v. 4., apud Moserum; adde infra c. 63.

39. *Aliquid vim coelestem...pertinere.]* I. e. aliqua tenus vel aliquo modo.

40. *In dissimilis incidere naturas.]* I. e. dissimiles naturas sortiri.

41. *Quod minime illis placet.]* Harl. I. delet *illis*; sed idem mox scribit mendose *illis* pro *illi*: ergo *illis* consulto librarius delevit: quem non sequor; neque magis Moserum in al-

tero loco *illi* expungentem.

42. *Quae tanta dementia est, ut...nihil intersit,—.]* Est βραχυλογία, pro—ut quisquam dicere velit, nihil interesse—.

43. *Ut alia Tusculi, alia Romae.—]* Etiam hic coaretata oratio est: intellige autem sic:—ut alia altero in loco eveniat tempestas, in altero alia; sicut alia Tusculi saepe evenit tempestas, alia Romae. Sic perspicis, cur geminatum adverbium saepe adhucuerit Cicero.

44. *In flectendis promontoriis.]* Cf. *ad Att.* v. 9., “Leucaten flectere molestum videbatur.”

45. *Quum...saepe sentiant.]* Nostri tres omnes, sicuti quatuor apud Moserum, sentiunt; frustra. Ceterum ne hoc quidem loco plenae orationi satisfactum est; quam sic ex-

ad nascentium ortus pertinere non<sup>46</sup> dicere, quod non certe non<sup>47</sup> pertinet: illud nescio quid tenue, quod sentiri nullo modo, intellegi autem vix potest, quae a luna ceterisque sideribus coeli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere? Quid? quod non intellegunt, seminum vim<sup>48</sup>, quae ad gignendum procreandum plurimum valeat<sup>49</sup>, funditus tolli; mediocris erroris<sup>50</sup> est? Quis enim non videt, et formas, et mores, et plerosque status ac motus effingere<sup>51</sup> a parentibus liberos? quod non contingere, si haec non vis et natura gignentium efficeret, sed temperatio lunae, coelique moderatio. Quid? quod uno et eodem temporis punto nati, dissimilis et naturas, et vitas, et casus habent; parumne declarant<sup>52</sup>, nihil ad agendam vitam nascendi tempus pertinere? nisi forte<sup>53</sup> putamus neminem eodem tempore ipso et conceptum et natum, quo Africanum. Num quis igitur talis fuit?

**XLVI.** Quid? illudne dubium est; quin multi, quum ita nati essent ut quaedam contra naturam depravata haberent, restituerentur<sup>54</sup> et corrigerentur ab<sup>55</sup> natura, quum se ipsa revo-

plendam arbitrator:—Quod qui navigant maxime animadvertunt; *sicuti maxime his animadvertere licet*, quum . . . saepe sentiant. Cf. *N. D.* i. 6.

**46. Pertinere non dicere.]** Malles non pertinere dicere: sed negandi particulam Graeco more positam esse recte censem Moserus, conferens *pro L. Manil.* 24., “Qui ad unum defenda esse omnia non arbitrantur.” addasque *de Off.* i. 13. Illa vero discretiva structura est, *hoc . . . pertinere non dicere, . . . illud . . . dicere . . . pertinere*; pro quum hoc pertinere non dicant, illud dicere pertinere: vide ad *N. D.* i. 9. extr.

**47. Quod non certe non pertinet.]** Vulgati quod non certe pertinet. Davisius vero abesse volebat particulam non. Transposuit Schuetzius, quod certe non pertinet. At neutrum, opinor, constabat, nec pertinere istud, nec non pertinere. Quapropter restituit nobis, ut, geminata negandi particula, medium quemdam sensum eliceremus.

**48. Seminum vim.]** Cf. *Ovid. Heroid.* xvi. 291, “Vix fieri, si sunt vires in semine avorum, Et Jovis et Ledae filia, casta potes.”

**49. Non intellegunt, . . . quae . . . valeat, f. tolli.]** Perperam nuperi editores ex unico Oxoniensi codice

valeat.

**50. Mediocris erroris est ?]** I. e. errantiae, ut Accii verbo utar. Nam frustra esse opinor viri cuiusdam docti conjecturam apud Moserum, mediocris error is est?

**51. Effingere a parentibus liberos ?]** I. e. effictos habere.

**52. Parumne declarant,— ?]** Nempe, isti eodem temporis punto nati, dissimiles vero naturas habentes. Volebat Davisius potius declarat, quod nuperi editores etiam receperunt; frustra: cf. *N. D.* i. 1. debeant.

**53. Nisi forte.]** Vide ad *Sallust. Catil.* 20. extr.: adde *Cic. pro Mil.* 3. et 31. bis, infra c. 53.

**54. Quin multi . . . restituerentur.]** Quin sensim ac procedente aetate restituti sint. Ita licet, opinor, imperfecti vim interpretari.

**55. Et corrigerentur ab natura, . . . aut arte atque medicina.]** Pro ab rescribere volebat Davisius aut; sed praepositionem recte tuetur *Wopkensius L. T.* p. 288., monens naturam hic quasi προσωπουσισθαι (nam animadverte illud, “quum se ipsa revocasset,”) quum ars atque medicina sit causa media sive instrumentalis; simul conferens illud, *N. D.* ii. 54., “Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur et

casset, aut arte atque medicina? ut quorum linguae sic inhaerent ut loqui non possent, eae<sup>56</sup> scalpello resectae liberarentur? Multi etiam naturae vitium meditatione atque exercitatione sustulerunt: ut Demosthenem scribit Phalereus, quum RHO dicere nequiret, exercitatione fecisse ut planissime diceret. Quod si haec astro ingenerata et tradita essent, nulla res ea mutare<sup>57</sup> posset. Quid? dissimilitudo locorum nonne dissimilis hominum procreations habet<sup>58</sup>? quas quidem percurrere oratione facile est; quid inter Indos et Persas, Aethiopas et Syros differat, corporibus, animis: ut incredibilis varietas dissimilitudoque sit. Ex quo intellegitur, plus terrarum situs, quam lunae tractus<sup>59</sup> ad nascendum valere. Nam quod aiunt, quadringenta septuaginta millia annorum in periclitandis experundisque pueris, quicumque essent nati, Babylonios posuisse; fallunt: si enim esset factitatum, non esset desitum: neminem autem habemus auctorem, qui aut fieri dicat, aut factum sciat.

**XLVII.** Videsne, me non ea dicere, quae Carneades, sed ea, quae princeps Stoicorum Panaetius dixerit? Ego autem etiam hoc requiro, omnesne<sup>60</sup>, qui Cannensi pugna ceciderunt, uno astro fuerint? Exitus quidem omnium unus et idem fuit. Quid? qui ingenio atque animo singulares, num astro quoque uno? Quod enim tempus, quo non innumerabiles nascantur<sup>61</sup>? at certe similis nemo Homeri. Et si ad rem pertinet, quo modo coelo affecto compositisque sideribus quodque animal oriatur; valeat id necesse est etiam in rebus inanimis<sup>62</sup>: quo quid dici potest absurdius? L. quidem Tarutius Firmanus, familiaris

molitur cibus." (ubi quod edidi ego mandatur, pro manditur, nunc poenitet conjecturae.) Recte autem dedit Davisius atque medicina pro aut m.

56. *Ut quorum linguae . . . , eae—.*] Recte ut pro aut correxit Pearcius: eae autem est quasi eorum linguae.

57. *Nulla res ea mutare posset.]* Harl. I., omisso res, scribit mutare possent, quasi absolute mutare: frustra, credo.

58. *Habet.]* Cf. i. 30. supra. Infra male Dav. ante Aethiopas addidit et.

59. *Lunae tractus.]* Multi libri, etiam Harl. 3., tactus: sed bene consultit Burmannus in Misc. Obss. *Manil.* iii. 357, "Sidera curvato ducuntur in aethera tractu." h. e. cursu.

60. *Omnesne qui Cannensi—.]* Cf. Favorinum apud Gell. xiv. I.—*Uno astro fuerint: frustra cod. Balliol. adit orti.*

61. *Quo non inn. nascantur?] Male Davisius nascuntur.*

62. *Valeat id necesse est etiam in rebus inanimis.]* Quae 'vis consequentiae', ut dialectici dicunt, istic sit, haud equidem facile dixerim. Quod vero interrogative scribit Rathius *valeat id necesse est etiam in rebus inanimis?* primum ordo verborum repugnat, *valeat id necesse est;* deinde isto modo insequens interrogatio, "Quo quid . . . absurdius?" plane abundaret. Quid igitur dicendum est? Equidem fatendum arbitror, Ciceronem hic gratuitam conclusionem posuisse: quod eo proclivius ipsi erat, quod festinabat L. Tarutium Firmanum auctorem nominare, qui eo usque processisset. Nam quod habent codices aliquot, id quod edidit Victorius, *valeat id necesse est non in hominibus solum, verum in bestiis etiam* (ita fere etiam

noster, in primis Chaldaicis rationibus<sup>63</sup> eruditus, urbis etiam nostrae natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus; Romamque, in Jugo<sup>64</sup> quum es- set luna, natam esse dicebat, nec ejus fata canere<sup>65</sup> dubitabat. O vim<sup>66</sup> maxumam erroris! etiamne Urbis natalis dies ad vim stellarum et lunae pertinebat? Fac in puero referre, qua adfectione<sup>67</sup> coeli primum spiritum duxerit: num hoc in latere, aut in caemento, ex quibus urbs effecta est, potuit valere? Sed quid plura? Quotidie refelluntur. Quam multa ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic<sup>68</sup> ipsi Caesari a Chaldaeis dicta memini, neminem eorum nisi in senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum! ut mihi permirum videatur, quemquam exstare, qui etiam nunc credat iis, quorum praedicta quotidie videat re et eventis refelli.

**XLVIII.** Restant duo divinandi genera, quae habere dicimus a natura, non ab arte; vaticinandi et somniandi. De quibus, Quinte, inquam, si placet, disseramus. Mihi vero<sup>69</sup>, inquit, placet: iis enim, quae adhuc disputasti, prorsus adsentior; et, vere ut loquar, quamquam tua me oratio confirmavit, tamen et<sup>70</sup> jam mea sponte nimis superstitionis [de divinatione<sup>71</sup>] Stoicorum sententiam judicabam: ac me Peripateticorum ratio magis movebat, et veteris Dicaearchi et ejus, qui nunc floret, Cratippi, qui censem esse in mentibus hominum tamquam oraculum aliquod, ex<sup>72</sup> quo futura praesentiant, si aut furore divino incitatus animus, aut somno relaxatus, solute

Harl. 1. et 2.), plane nihil emolu-  
menti puto inde percipi posse.

63. *Chaldaicis rationibus eruditus.]* Harl. 2., sicuti alii quidam, *Chald.*  
*literis*; male.

64. *In Jugo quum esset luna.]* I. e.  
in Libra.

65. *Nec ejus fata canere dubita-  
bat.]* Pro *canere* habent multi libri  
*tenere*; quod ita ferri ac *praeferri*  
posset, si simul adesset pronomen, ut  
esset *se tenere*, h. e. intelligere, co-  
gnita ac *percepta* habere.

66. *O vim maxumam erroris!] Cf.  
Sallust. Catil. 36. extr., “Tanta vis  
morbi . . . plerosque civium animos  
invaserat.”*

67. *Qua adfectione coeli . . . duxerit.]* Quaenam affectio coeli fuerit,  
quum primum spiritum duceret.  
Vulg. *ex qua adf.*: sed *abiciendam*  
*praepositionem recte censuit Davi-*

sius.

68. *Huic ipsi Caesari.]* Nempe  
cujus casus prope in oculis erat.—  
Infra *nisi in senectute*: bene praep.  
restituit Dav.

69. *Mihi vero, etc.] Cf. N. D. iii.  
25. extr.*

70. *Tamen et jam mea sponte . . .  
judicabam.]* Sic Harl. 3.; vulg. *tamen  
etiam mea*.— Cf. N. D. ii. 62.

71. *Nimis superstitionis de divi-  
natione Stoicorum sententiam.]* Harl.  
2. *de divinatione nimis superstitionis*;  
ut suspectae fiant supervacaneae  
voces de div.

72. *Ex quo futura praesentiant.]*  
Conf. (apud Moserum) *ad Fum.* vii.  
23., “*Salutationi nos dedimus ami-  
corum; quae fit ex hoc etiam fre-  
quentius, . . . quod—.*” *pro Rab.* 9.,  
“*Demetrius ex doctrina nobilis et  
clarus.*” Ad rem vide i. 57.

moveatur ac libere. His de generibus quid sentias, et quibus ea rationibus infirmes, audire sane velim.

**XLIX.** Quae quum ille dixisset, tum ego rursus quasi ab alio principio sum exorsus dicere. Non ignoror, inquam, Quinte, te semper ita sensisse, ut de ceteris<sup>73</sup> divinandi generibus dubitares; ista duo, furoris et somnii, quae a libera mente fluere viderentur, probares. Dicam igitur, de istis ipsis duobus generibus mihi quid videatur, si prius, et Stoicorum conclusio rationis et Cratippi nostri quid valeat, video. Dixisti<sup>74</sup> enim, et Chrysippum, et Diogenem, et Antipatrum concludere hoc modo: "Si sunt dii, neque ante declarant hominibus quae futura sint; aut non diligunt homines; aut, quid eventurum sit, ignorant; aut existumant nihil interesse, hominem<sup>75</sup> scire quid sit futurum; aut non censem esse suae majestatis, praesignificare hominibus quae sint futura; aut ea ne ipsi quidem dii significare possunt: at neque non diligunt nos; sunt enim benefici, generique hominum amici: neque ignorant ea quae ab ipsis constituta et designata sunt: neque nostra nihil interest, scire ea quae futura sunt; erimus enim cautores, si sciemus: neque hoc alienum ducunt majestate sua; nihil est enim beneficentia praestantius: neque non possunt futura praenoscere: non igitur dii sunt, nec significant nobis futura: sunt autem dii: significant ergo: et non, si significant futura, nullas dant vias nobis ad significationum scientiam; frustra enim significant: neque, si dant vias, non est divinatio: est igitur divinatio." O acutos homines! quam paucis verbis negotium confectum putant? Ea sumunt<sup>76</sup> ad concludendum, quorum iis nihil conceditur. Conclusio autem rationis ea probanda est, in qua ex rebus non dubiis id, quod dubitatur, efficitur.

L. Videsne Epicurum<sup>77</sup>, quem hebetem et rudem dicere solent Stoici, quemadmodum, quod in natura rerum omne<sup>78</sup> esse dicimus, id infinitum esse concluserit? *Quod finitum est*, inquit, *habet extremum*. Quis hoc non dederit? *Quod autem habet extremum, id cernitur ex*<sup>79</sup> *alio extrinsecus*. Hoc quoque

73. *De ceteris . . . ; ista duo—.]* Vide ad i. 3.

corum; cf. cap. prox.: adde *N. D.* i. 32.

74. *Dixisti enim—.]* Supra i. 38.

77. *Videsne Epicurum, . . . quemadmodum . . . concluserit?*] Attractione usitata: cf. *N. D.* i. 10.

75. *Nihil interesse, hominem scire.]* I. e. hominum genus, homines, ut saepe. Neque necesse est haec plane ad verbum cum Quinti sermone convenire. Nempe supra est *nihil interesse hominum, scire;* quomodo si etiam h. l. scripsisset Cicero, numquam, arbitror, altera illa lectio in pluribus libris extitisset.

78. *Quod . . . omne esse dicimus.]* I. e. τὸ πᾶν.

76. *Ea sumunt—.]* Vox dialecti-

79. *Cernitur ex alio.]* Nempe, ubi finitum istud desinit, continuo aliud quiddam cernitur locum occupare; ex quo ipsum istud finitum spectabile fit.

est concedendum. *At quod omne est, id non cernitur ex alio extrinsecus.* Ne hoc quidem negari potest. *Nihil igitur quum habeat<sup>80</sup> extremum, infinitum sit necesse est.* Videsne, ut ad rem dubiam concessis rebus pervenerit? Hoc vos dialectici non facitis: nec solum ea non sumitis ad concludendum, quae ab omnibus concedantur; sed ea sumitis, quibus concessis, nihil magis efficiatur quod velitis. Primum enim hoc sumitis, *Si sunt dii, benefici in homines sunt.* Quis hoc vobis dabit? Epicurusne, qui negat quidquam deos nec alieni curare nec sui? an noster Ennius? qui magno plausu loquitur, adsentiente populo,

Ego deūm genus esse semper dixi et dicam coelitum:  
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

Et quidem, cur sic opinetur, rationem<sup>81</sup> subjicit. Sed nihil est necesse dicere quae sequuntur: tantum sat est intellegi, id sumere istos pro certo, quod dubium controversumque sit.

**LI.** Sequitur porro, *Nihil deos ignorare, quod omnia sint ab iis constituta.* Hic vero quanta pugna est doctissumorum hominum, negantium esse haec a diis immortalibus constituta? At nostra interest scire ea quae eventura sunt. Magnus Dicaearchi liber est, nescire ea melius<sup>82</sup> esse quam scire. *Negant id<sup>83</sup> esse alienum majestate deorum.* Scilicet casas<sup>84</sup> omnium introspicere, ut videant quid cuique conducat. *Neque non possunt futura praenoscere.* Negant posse ii, quibus non placet esse certum, quid futurum sit. Videsne igitur, quae dubia sint, ea sumi pro certis atque concessis? Deinde contorquent<sup>85</sup>, et ita concludunt: *Non igitur et<sup>86</sup> sunt dii, nec significant futura:* id enim jam perfectum<sup>87</sup> arbitrantur. Deinde adsumunt<sup>88</sup>: *Sunt autem dii:* quod ipsum non ab omnibus conceditur: *Significant ergo.* Ne id quidem sequitur: possunt enim non significare, et tamen esse dii. *Nec, si significant, non dare<sup>89</sup> vias*

80. *Nihil igitur quum habeat extremum.]* Sc. id quod omne est.

81. *Rationem subjicit.]* Ea exstat apud Nostrum *de N. D.* iii. 32.

82. *Nescire ea melius esse.]* Puta eo argumento. Vide supra c. 9., item *N. D.* iii. 6.—Recte Harl. I. et 2. *eventura sunt, non sint.*

83. *Negant id esse alienum—.]* Nempe id agere; sc. ut possint homines scire ea, quae eventura sint.

84. *Casas omnium introspicere.]* Bene casas pro causas primus correxit P. Manutius: sed habent id ipsum etiam codices satis multi. Conf. illud *N. D.* iii. 35., “At enim mino-

ra dii neglegunt, neque agellos singulorum nec viticulas persequuntur.”

85. *Deinde contorquent.]* Cf. *Tusc.* iii. 26., de Aeschine, “Quas sententias colligit? quae verba contorquet? ut licere quidvis rhetori intelligas.”

86. *Non igitur et sunt dii, nec—.]* Voculam et frustra delevit Davisius: quam tuentur nostri omnes. Vide ad i. 38.

87. *Perfectum.]* Plane effectum.

88. *Deinde adsumunt.]* Hoc amplius sumunt. Sic etiam infra c. 52. et 53.

89. *Nec, si significant, non dare—.]*

*aliquas ad scientiam significationis.* At id quoque potest<sup>90</sup>, ut non dent homini<sup>91</sup>; ipsi habeant: cur enim Tuscis potius quam Romanis darent? *Nec, si dant vias, nulla est divinatio.* Fac dare deos; quod absurdum<sup>92</sup> est: quid refert, si accipere non possumus? Extremum est, *Est igitur divinatio.* Sit extremum: effectum tamen non est: ex falsis enim, ut ab ipsis didicimus, verum effici non potest: jacet<sup>93</sup> igitur tota conclusio.

LII. Veniamus nunc ad optimum virum, familiarem nostrum, Cratippum<sup>94</sup>. “Si sine oculis, inquit, non potest extare officium et munus oculorum, possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere; qui vel semel ita est usus oculis, ut vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine divinatione non potest officium et munus divinationis exstare, potest autem, quum quis divinationem habeat, errare aliquando nec vera cernere; satis est ad confirmandam divinationem, semel aliquid ita esse divinatum, nihil ut fortuito cecidisse videatur: sunt autem ejus generis innumerabilia: esse igitur divinationem confitendum est.” Festive et breviter: sed quum bis sumsit quod voluit; etiam si facilis nos ad concedendum habuerit, id tamen, quod adsumit, concedi nullo modo potest. “Si,” inquit, “aliquando oculi peccent, tamen, quia recte aliquando viderint<sup>95</sup>, inest in his vis videndi.” Item, “si quis semel aliquid in divinatione<sup>96</sup> dixerit, is etiam quum peccet, tamen existumandus<sup>97</sup> sit habere vim divinandi.”

LIII. Vide, quaeso, Cratippe noster, quam sint ista similia<sup>98</sup>: nam mihi non videntur. Oculi enim vera cernentes

Sic codd. nostri omnes. Davisius e codice Lambini *non dant*: tamen intactum reliquit ille *significant*; pro quo tandem Moserus dedit *significant* e Leidens. 3. Per me licet Ciceroni etiam obliquam orationem adhibere.

90. *At id quoque potest.*] Sc. *esse*: nisi forte scribendum *pote est*.

91. *Ut non dent homini.*] Sic nostri omnes: Davisius *hominibus*, frustra: cf. c. 49. supra.

92. *Quod absurdum est.*] Hoc ex propria sententia sua, et praeter argumentum, ut videtur.

93. *Jacet igitur—.*] Cf. *de Fin.* v. 23., “*Jacet omnis ratio Peripateticorum.*”

94. *Veniamus nunc ad . . . Cratipum.*] Vide i. 32.

95. *Quia recte aliquando viderint.*] Est oratio quasi obliqua, quoniam rationes Cratippi recenset.

96. *Si quis semel aliquid in divinatione dixerit.]* Puta recte atque in rem; cf. *Tusc.* iv. 20. extr., “Quae quum exponunt, nihilne tibi videntur, an aliquid dicere?” et *de Fato* 20., “Tamen aliquid sibi dicere videatur.” nisi malis cum Grutero dixerit pro *praedixerit* accipere. Sed male idem Gruterus Pal. I. solummodo sequutus voces *in divinatione* delevit. Pro *dixerit* Regius Parisiensis *vide rit*, frustra.

97. *Tamen existumandus sit—.*] Eum, etiam quum peccet, tamen tu existumato habere vim divinandi. Conjunctivum, monet Kayserus, esse urbanitatis Atticae, conferens *Matthiae Gr. Gr.* § 514.

98. *Quam sint ista similia.*] Cf. *N. D.* iii. 4., “*Tum Cotta, Quam simile istud sit, inquit, tu videris.*”

utuntur natura atque sensu: animi<sup>99</sup> si quando vel vaticinando vel somniando vera viderunt, usi sunt fortuna atque casu. Nisi forte concessuros tibi existumas eos, qui somnia pro somniis habent, si quando aliquod somnium verum evaserit, non id fortuito accidisse. Sed demus tibi istas duas summiones, ea quae λήμματα appellant dialectici; sed nos Latine loqui malumus: adsumtio<sup>1</sup> tamen, quam πρόσληψιν iidem vocant, non dabitur. Adsumit autem Cratippus hoc modo: *Sunt autem innumerabiles praesensiones non fortuitae.* At ego dico nullam. Vide, quanta sit controversia. Jam adsumtione non concessa, nulla conclusio est. At impudentes sumus, qui, quum tam perspicuum sit, non concedamus. Quid est perspicuum? Multa vera, inquit, evadere. Quid, quod multo plura falsa. Nonne ipsa varietas, quae est propria fortunae, fortunam esse causam, non naturam, docet? Deinde, si tua ista conclusio, Cratippe, vera est, (tecum<sup>2</sup> enim mihi res est) nonne intellegis eadem uti posse et haruspices, et fulguratores, et interpretes ostendorum, et augures, et sortilegos, et Chaldaeos? quorum generum nullum est, ex quo non aliquid, sicut praedictum sit, evaserit. Ergo aut ea quoque genera divinandi sunt, quae tu rectissime improbas: aut, si ea non sunt, non intellego, cur haec duo sint, quae relinquis. Qua ergo ratione haec inducis, eadem illa possunt esse quae tollis.

LIV. Quid vero habet auctoritatis furor iste, quem divinum vocatis<sup>3</sup>, ut, quae sapiens non videat, ea videat insanus, et is, qui humanos sensus amiserit, divinos adsequutus sit? Sibyllae versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur: quorum interpres<sup>4</sup> nuper, falsa quadam hominum fama, dicturus in senatu putabatur; eum, quem re vera regem habebamus<sup>5</sup>, adpell-

99. *Animi si quando... viderunt.*] Sustuli distinctionem post *animi*. Nempe si proprius verbum saepe ita nomen ad se trahit, ut etiam enallage casus fiat (vide ad *N. D.* iii. 6. extr.), quanto proclivius id eveniet, quando idem nomen utriusque verbo accommodatum est.

1. *Adsumtio tamen, quam πρόσληψιν—.*] Codd. fere *praesensio*; non nulli *prae*s*umptio*, quod in vulgatis editum est: *assumptio* correxit Pearceius ex sequentibus. Πρόσληψιν autem dedit Ernestius pro πρόληψιν: nunc illud etiam in codd. quatuor repperit Moserius. Ceterum quid sit *adsumtio*, satis docet infra, et quidem planius etiam quam ubi studiose ip-

sam definit, *de Invent.* i. 37.

2. *Tecum enim mihi res est.*] Cf. *N. D.* i. 22., “Epicurus vero tuus (*nam cum illo malo disserere, quam tecum*), quid dicit?” et c. 31., “Sed, quoniam non audes (*jam enim cum ipso Epicuro loquar*) negare esse deos, quid—?”

3. *Vocatis.*] I. e. vestri vocant.

4. *Quorum interpres.*] L. Cotta: vide *Sueton. Jul.* 79. Male vulgati *falsa quaedam*: recte Lambinus *quadam*; sic etiam codd. duo Moseri.

5. *Quem... habebamus... vellemus.*] Harl. 1. et 2. *habeamus*; item 2. *velimus*: sed, jam mortuo C. Caesare, haec scripsit Cicero; vide c. 9. supra.

landum quoque esse regem, si salvi esse vellemus. Hoc si est in libris, in quem hominem, et in quod tempus est? Callide enim, qui illa composuit, perfecit, ut, quodcumque accidisset, praedictum videretur, hominum et temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur. Non esse autem illud carmen furentis, quum ipsum poëma declarat (est enim magis artis et diligentiae, quam incitationis et motus) tum vero ea<sup>6</sup>, quae ἀκροστιχὶς dicitur, quum deinceps ex primis versuum literis aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis, Q. ENNIUS FECIT<sup>7</sup>. Id certe magis est adtenti animi quam furentis. Atque in Sibyllinis ex primo versu cujusque sententiae primis literis<sup>8</sup> illius sententiae carmen omne praetexitur. Hoc scriptoris est, non furentis; adhibentis diligentiam, non insani. Quamobrem Sibyllam quidem sepositam et conditam habeamus; ut, id quod proditum est a majoribus, injussu senatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potius, quam ad suscipendas religiones: cum antistitibus agamus, ut quidvis potius ex illis libris, quam regem proferant; quem Romae posthaec nec dii, nec homines esse patientur<sup>9</sup>.

LV. At multi saepe vera vaticinati, ut Cassandra<sup>10</sup>,

Jamque mari magno ——

Eademque paulo post:

Eheu videte ——

6. *Ea, quae ἀκροστιχὶς dicitur.]* Attractio, pro *id, quod*—. Infra *versuum pro versus*, recte Moserus ex codd. tribus et ed. Lamb.

7. *Q. ENNIUS FECIT.]* Vulgati *quae Ennius fecit.* At *Q. Ennius* optime emendavit Jo. Auratus: cuius emendationem non capiunt viri docti, quum id requirunt, quomodo Cicero ita balbutire potuerit, ut scriberet, *Q. Ennium scripsisse Enniana*. Verum enimvero haec est ipsa ἀκροστιχὶς, *Q. ENNIUS FECIT*; quam perinde literis exprimendam curavi. Nam, quod codd. duo Davisii voces *quae Ennius fecit* omnino omittunt, profecto magis aliquanto culibet in proclivi esse potuit, tam otiosum interpretationum tollere, quam cuiquam ultro atque gratuito in contextum immittere.

8. *Ex primo versu cujusque sententiae primis literis.]* Sensum assecuratum arbitror Meyerum, interpretem Germanum, apud Moserum: inesse nimirum etiam ἀκροστιχίδας ejus generis, quo primae primi versus literae fiant literae initiales versuum insequentium; ita ut si v. c. totum oraculum (quae *sententia* est Ciceroni) inciperet a voce Χαῖρε, secundus versus inciperet ab *a*, tertius ab *i*, et sic deinceps reliqui.

9. *Patientur.]* Libri fere patientur vel patiuntur: sed etiam futurum in votis usurpari docet Davisius ex Comicis poëtis.

10. *Ut Cassandra.]* Supra i. 31. extr. et 50. Infra *Marcis vatibus*, cf. i. 40.; *Apollinis opertis*, i. 50. extr.

Num igitur me cogis etiam fabulis credere? quae delectationis habeant quantum voles: verbis, sententiis, numeris, cantibus adjuventur: auctoritatem quidem nullam debemus nec fidem commentitiis rebus adjungere. Eodemque modo nec ego Publio nescio cui, nec Marciis vatibus, nec Apollinis opertis credendum existumo: quorum partim<sup>11</sup> ficta aperte, partim effutita temere, numquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti, probata sunt. Quid? inquies: remex<sup>12</sup> ille de classe Coponî nonne ea praedixit quae facta sunt? Ille vero; et ea quidem<sup>13</sup> quae<sup>14</sup> omnes eo tempore, ne acciderent, timebamus: castra enim in Thessalia castris collata audiebamus; videbaturque nobis exercitus Caesaris et audaciae plus habere, quippe qui patriae bellum intulisset; et roboris propter vetustatem: casum autem proelii nemo nostrum erat quin timeret; sed ita, ut constantibus hominibus<sup>15</sup> par erat, non aperte. Ille autem Graecus quid mirum si magnitudine timoris, ut plerumque fit, a constantia atque a mente atque<sup>16</sup> a se ipse discessit? qua perturbatione animi, quae, sanus quum esset, timebat ne evenirent, ea demens eventura esse dicebat. Utrum tandem, per deos atque homines! magis veri simile est, vesanum remigem, an aliquem nostrum, qui ibi tum eramus, M.<sup>17</sup> Catonem, Varronem,

11. Quorum partim—.] Cf. *de Off.* ii. 21., “Eorum . . . partim ejusmodi sunt, ut—.”—*Infra effutita temere*, cf. *N. D.* ii. 37.

12. *Remex ille.*] *Supra* i. 32.

13. *Et ea quidem, quae.*] Particulae et quidem saepe ironiae inserunt, et sunt amplificantis παρὰ προσδοκίαν, eaque addunt quae contra ipsum, quo cum agimus, faciant. Vide commentator nostrum *de Usu Copular.* c. ii. § 103; adde *Acad.* iv. 16., *de Fin.* i. 10., *de N. D.* i. 28., *de Facto* 8. *Conf.* formulam illam, *Quis negat?* sed—. apud Nostrum *de Fin.* v. 30. *extr.*, *de Leg.* iii. 10.; Cf. etiam illud *pro Sulla* 7., “Fateor, et addo etiam—.”

14. Quae omnes eo tempore, ne acciderent, timebamus.] Ad hunc locum Kayserus sic:—“Cave hunc locum distinguendo corrumpas, se jungasque, quae jungenda sunt. Si enim distinxeris post tempore, non poteris jungere quae—ne acciderent; si post acciderent, separabis verba omnes—timebamus.” Haec ille. Ego usitatum Graecismum agnosco, et facile intelligo quae quartam positionem esse:

cf. *Terent.* *Eun.* iii. 5. 62., “Metuo fratrem, Ne intus sit.” Et *Phorm.* iii. 2. 6., “Metuo lenonem, ne quid suo suat capiti.” Sic intellige etiam illud *infra h. c.*, “quae, sanus quum esset, timebat, ne evenirent.”

15. Ut constantibus hominibus par erat.] Dativi vim eamdem fere esse intelligo, quam indicavi ad illud *N. D.* iii. 31., *tacere praestaret philosophis.*

16. A constantia atque a mente atque a se ipse.] Nota particulam atque in amplificatione geminatam. Hunc morem Catonis fuisse significat *M. Aurelius* in Epistola quadam ad Frontonem, sic:—“Uni M. Porcio me dedicavi atque despondi atque delegavi. Hoc etiam ipsum ‘atque’ unde putas? ex ipso furor.” Quin sic ipse Cato apud *Gell.* vii. 3., “Scio, solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere.”

17. *M. Catonem, Varronem, Coponium ipsum.*] Ita verecundius loquenter Ciceronem faciunt Oxonn. duo, quinque Moseri, Harl. 3.; necnon editi ante Victorium, qui pro *M.* de-

Coponium ipsum, consilia deorum immortalium perspicere potuisse?

LVI. Sed jam ad te venio,

O<sup>18</sup> sancte Apollo, qui umbilicum certum<sup>19</sup> terrarum obsides,  
Unde superstitiosa<sup>20</sup> primum saeva evasit vox fera.

Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione<sup>21</sup> saepissime; partim flexiloquis<sup>22</sup> et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa referenda sit ad sortis; partim ambiguis, et quae ad dialecticum deferenda<sup>23</sup> sint. Nam quum<sup>24</sup> illa sors edita est opulentissimo regi Asiae,

Croesus Halym penetrans, magnam pervertet opum vim;

hostium vim sese perversurum putavit, pervertit autem suam. Utrum<sup>25</sup> igitur eorum accidisset, verum oraculum fuisse. Cur autem hoc credam umquam editum Croeso? aut Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? Num minus ille potuit de Croeso, quam de Pyrrho fingere Ennius? Quis enim est, qui credat Apollinis ex oraculo Pyrrho esse responsum,

dit me. Conf. N. D. iii. 5., "Eos tu... obviam Vatieno venisse existimas, et victoriā populi Romani Vatiено potius, homini rustico, quam M. Catoni, qui tum erat princeps, nuntiavisse." Nam, quod offendit Orell, in praenomine soli Catoni praemissō, potuit, opinor, Cicero id dignitati Varronis tribuere. Infra codd. plures respicere; ita etiam nostri.

18. *O sancte Apollo.*] Exclamandi particulam extra versum positam esse vult Schuetzius, ut versus sit trochaeus, qualis etiam alter est. Ipsam autem tuerit Varro, quo minus quis putet ex ultima verbi *venio* litera ortam.

19. *Umbilicum certum terrarum.*] I. e. experimentis cognitum atque exploratum. De re sic (apud Hott.) Claudian. in prologo *Fl. Mall. Theod. Consulat.* :—"Juppiter, ut perhibent, spatium quum discere vellet Naturae, regni nescius ipse sui, Armigeros utrimque duos aequalibus alis Misit ab Eois occiduisse plagis. Parnassus geminos fertur junxisse volatus;

Contulit alternas Pythius axis aves." —Pro *obsides* autem legitur apud Varr. *obtines*.

20. *Superstitiosa.*] Vide ad i. 31. Illa autem *saeva* et *fera* recte, arbitror, censem Gesnerus ad Pythiae rabiem pertinere, quum ipse aliquando junior conjecisset *foras* pro *fera*.

21. *In omni oratione.*] In quovis sermone. Nisi forte scribendum in *omni hariolatione*.

22. *Flexiloquis.*] Quae quovis flecti possunt interpretatione, atque deduci. Vox non alibi exstat.

23. *Ad dialecticum deferenda.*] Palatini priores duo, Harl. I., alii, *deferendae*; quae potest ipsius auctoris esse negligentia, vocem *sortis* perperam respicientis. Ceterum cf. c. 65., infra, "Defert ad conjectorem." et c. 70, "Ad interpretem delitut."

24. *Quum illa sors—.*] I. e. quando. Rem vide apud Herodot. i. 53. 90.

25. *Utrum igitur eorum accidisset.*] I. e. *Utrumvis*: cf. Gell. vi. 13,

Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse<sup>26</sup>.

Primum Latine<sup>27</sup> Apollo numquam loquutus est: deinde ista sors inaudita Graecis est: praeterea Pyrrhi temporibus jam Apollo versus facere desierat: postremo, quamquam semper fuit, ut apud Ennium est,

— stolidum genus Aeacidarum,  
Bellipotentes sunt<sup>28</sup> magi', quam sapientipotentes :

tamen hanc amphiboliam<sup>29</sup> versus intellegere potuisset, *vincere te Romanos*, nihilo magis in se, quam in Romanos valere. Nam illa amphibolia, quae Croesum decepit, vel Chrysippum potuisset fallere : haec vero ne Epicurum<sup>30</sup> quidem.

**LVII.** Sed, quod caput<sup>31</sup> est, cur isto modo<sup>32</sup> jam oracula Delphis non eduntur, non modo nostra aetate, sed jamdiu, jam<sup>33</sup> ut nihil possit esse contemtius? Hoc loco<sup>34</sup> quum urguntur, evanuisse aiunt vetustate vim loci ejus, unde anhelitus ille terrae fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet. De vino aut salsamento putes loqui, quae evanescunt vetustate. De vi loci agitur, neque solum naturali, sed etiam divina; quae quo tandem modo evanuit? Vetustate, inquieris. Quae vetustas est, quae vim divinam conficere possit? Quid tam divinum autem, quam adflatus ex terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea<sup>35</sup> non modo cernat multo

“Utrum enim horum dicas, absurde atque ridicule dixeris,” et xiii. 19., “Nihil perdes, utrum dixeris.”

26. *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse.*] Augustin. C. D. iii. 17., apud Davisium, “Ita, sive Pyrrhus a Romanis, sive Romani a Pyrrho vincenterent, securus fatidicus utrumlibet exspectaret eventum.”

27. *Latine Apollo numquam.*] Nihil est hoc quidem argumentum; neque enim deum Latine loquutum esse vult Ennius: sed, Latine scribens ipse, Latine responsum Apollinis reddidit.

28. *Bellipotentes sunt magis.*] Non apte cum ipsius Ciceronianis cohaeret structura, nisi verbum substantivum tollas. Nota autem durius compositam vocem sapientipotentes.

29. *Amphibolium.*] Duplicem lectionem, *amphiboliam* et *amphilogiam*, indicant libri multi *amphibologiam* praferentes.

30. *Ne Epicurum quidem.*] Vide

supra c. 50. initium.

31. *Quod caput est.*] Cf. ad Att. i. 17., ii. 6., pro Mil. 20.

32. *Cur isto modo—.*] Utique ἐμπρωτεύει, sive, ut ait ipse infra h. c., numero versuque.

33. *Jam ut nihil possit esse contemtius.*] Davisius cum Victorio sed jamdiu, ut modo nihil—; quam lectionem ego non satis intelligo. Animadvertis autem Hottinger. singularem vim particulae *jam*, qua significant optimi scriptores, rem ad summum venisse. Supra c. 15., “Hoc *jam*, mihi crede, ne aniculae quidem existumant.”

34. *Hoc loco—.*] Hac quaestione: vide ad i. 4.—Infra evanuisse: cf. i. 19. extr.

35. *Providam rer. futurar. eff. ut ea—.*] Absolute *ea*, eas futuras res: cf. Varr. de R. R. ii. 1., “Quum viventer homines ex iis rebus, quae inviolata ultro ferret, terra.” Adde Nostr. de Fato c. 19. extr.

ante, sed etiam numero versuque pronuntiet? Quando autem ista vis evanuit? an postquam homines minus creduli esse coeperunt? Demosthenes quidem, qui abhinc annos prope trecentos fuit, jam tum *φιλιππίζειν* Pythiam dicebat, id est<sup>36</sup>, quasi cum Philippo facere: hoc autem eo spectabat, ut eam a Philippo corruptam<sup>37</sup> diceret: quo<sup>38</sup> licet existumare, in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse. Sed, nescio quomodo<sup>39</sup>, isti philosophi superstitiosi et paene fanatici quidvis malle<sup>40</sup> videntur, quam se non<sup>41</sup> ineptos. Evanuisse mavultis et extinctum esse id, quod, si umquam fuisset, certe aeternum esset, quam ea, quae non sunt credenda, non credere.

LVIII. Similis est error in somniis: quorum quidem defensio repetita quam longe est! Divinos<sup>42</sup> animos censem esse nostros, eosque esse tractos extrinsecus, animorumque consentientium multitudine completum esse mundum: hac igitur mentis et ipsius divinitate<sup>43</sup>, et conjunctione cum externis mentibus, cerni quae sint futura. Contrahi<sup>44</sup> autem animum Zeno, et quasi labi putat atque concidere, et id<sup>45</sup> ipsum esse dormire. Jam Pythagoras et Plato, locupletissimi auctores, quo in somnis certiora videamus, praeparatos quodam cultu atque victu proficiisci ad<sup>46</sup> dormiendum jubent. Faba quidem Pythagorei utique abstinuere: quasi vero eo cibo mens, non venter, infletur<sup>47</sup>. Sed, nescio quomodo, nihil tam absurde dici potest,

36. *Id est, quasi cum Philippo facere.*] Interpretatur Cicerio, more suo, disputationem suam literis mandans, utique lectoris causa, non Quinti fratris. Vide ad i. 17.—Supra scribit Harl. 2. *tricentos*.

37. *A Philippo corruptam.*] Non facere modo eum illo, id quod poterat etiam incorrupta.

38. *Quo.*] Unde.

39. *Nescio quomodo.*] Est parenthetica loquutio: cf. *de Off.* i. 18., “Quae magno animo... gesta sunt, ea, nescio quomodo, quasi pleniore ore laudamus.” et c. 41., “Fit enim, nescio quomodo, ut—.” Adde infra c. 58.

40. *Quidvis malle.*] Cf. *Sallust. Jug.* 79., “Denique omnia malle, quam vici abire.”

41. *Quam se non ineptos.*] Quam semet sapere. Quum codices conferrem, conjecti *quam se nosse ineptos*; sed statim conjectura non placebat.

42. *Divinos animos.*] Vide i. 30. supra.

43. *Hac i. mentis et ipsius divinitate.*] Hac igitur mentis, quae jam

ipsa divina sit, conjunctione cum externis mentibus item divinis.

44. *Contrahi autem animum.*] Nempe in somnis. Infra *labi*, accipe pro *collabi*: vide ad *N. D.* i. 5., supra i. 38.

45. *Et id ipsum esse dormire.*] Addidi cum nuperis editoribus *id ante ipsum*, etsi etiam omitti posse censem Wopkensi.

46. *Proficiisci ad dormiendum.*] Supra i. 29., *ad quietem ire*; 30. *ad somnum proficiisci*.

47. *Abstinuere: quasi... infletur.*] De temporum ratione optime Moseurus:—“Perfecto tempore refert Cicero *vetus institutum*; *praesente uititur in re*, quae omni tempore eadem est.” Tamen *praetulit Orellius* aliorum codicum lectionem *abstinere*, sc. jubent: cui neque perfectum ipsum satis placebat, et multo minus forma ista perfecti in *ere*. At quibusnam Pythagorei jubeant? an ullis qui Pythagorei non erant? Ceterum cur abstinerint illi, vide ad i. 30. supra. Harl. 2. *eo cibi*.

quod non dicatur ab aliquo philosophorum<sup>48</sup>. Utrum igitur censemus dormientium animos per sene<sup>49</sup> ipsos in somniando moveri, an, ut Democritus censet, externa et adventitia visione<sup>50</sup> pulsari? Sive enim sic est, sive illo modo, videri possunt permulta somniantibus falsa pro<sup>51</sup> veris. Nam et naviantibus moveri videntur ea quae stant: et quodam obtutu oculorum duo pro uno lucernae lumina. Quid dicam insanis, quid ebriis quam multa falsa videantur? Quod si ejusmodi visis credendum non est, cur somniis credatur, nescio: nam tam licet de his erroribus, si velis, quam de somniis disputare: ut, ea quae stant si moveri videantur, terrae motum significare<sup>52</sup> dicas aut repentinam aliquam fugam; gemino autem lucernae lumine declarari, dissensionem ac seditionem moveri<sup>53</sup>.

LIX. Jam ex insanorum aut ebriorum visis innumerabilia conjectura trahi<sup>54</sup> possunt, quae futura videantur. Quis est enim, qui totum diem jaculans, non aliquando conlineet<sup>55</sup>? Totas noctis somniamus<sup>56</sup>; neque ulla est fere, qua non dormiamus: et<sup>57</sup> miramur, aliquando id, quod somniarimus, evadere<sup>58</sup>? Quid est tam incertum, quam talorum jactus? tamen nemo est, quin saepe jactans, Venerium<sup>59</sup> jaciat aliquando, nonnumquam etiam iterum ac tertium: num igitur, ut inepti, Veneris id impulsu fieri malumus, quam casu,

48. *Ab aliquo philosophorum.*] Cf. *Varronem* apud *Nonium* i. 275., “Postremo nemo aegrotus quidquam somniet Tam infandum, quod non quis dicat philosophus.”

49. *Utrum . . . per sene ipsos.*] Cf. *N. D.* ii. 34., “Utrum ea fortuitane sint, an—.” Ita recte etiam Harl. 3.; nam 2. *per se ipsos* met. Sic iterum c. 63. infra.

50. *Externa . . . visione.*] Imagine: vide c. 67. infra, *N. D.* i. 38. *de Fin.* i. 6.

51. *Videri possunt . . . falsa pro veris.*] Sic etiam c. 59., “in quo valent falsa pro veris.”—Infra, “ebriis quam multa falsa videantur,” intellige pro veris.

52. *Terrae motum significare.*] Nempe ipsa illa, quae moveri videantur. Scribere jubet Davisius *significari*, frustra.

53. *Seditionem moveri.*] Cf. *Sallust. Catil.* 30., “servile bellum moveri.”

54. *Conjectura trahi possunt.*] Constat Moserus *de Invent.* ii. 9., “multae trahuntur suspiciones.”

55. *Non aliquando conlineet.*] Cf. *de Fin.* iii. 6., “si cui propositum sit conlineare hastam aliquo.” Multi libri mendose *conlinet*; sic etiam Harl. 2. et 3.; in primo autem lacuna est.

56. *Totas noctis somniamus; . . . dormiamus.*] Davisius cum Mureto *Totas noctes dormimus; neque ulla fere est, qua non somniemus.* Necessarium non est. Sic intellige: *Totas saepe noctes somniamus; neque ulla fere est qua non dormiamus, et utique aliquid etiam somniemus.*

57. *Et miramur—?*] De vi particulae et, vide *Doctr. nostr. Copular.* ii. 46.; adde *N. D.* i. 32. extr., *Liv.* ii. 38., iii. 19., *Curt.* viii. 2. 9., ix. 6. 23., *Spartian.* in *Pesc.* 7., *Martial.* v. 41., vi. 9.

58. *Evadere.*] Nempe verum, quod etiam addidit supra c. 53., sed etiam absolute ibid., “Quorum generum nullum est, ex quo non aliquid, sicut praedictum sit, evaserit.” Utroque modo item infra c. 71.

59. *Venerium.*] Vide ad i. 13. supra.

dicere? Quod si<sup>60</sup>, ceteris temporibus, falsis visis credendum non est; non video, quid praecipui somnus habeat, in quo valeant falsa pro veris. Quod si ita natura paratum esset, ut ea dormientes agerent quae somniarent; adligandi omnes essent, qui cubitum irent: majores enim, quam ulli insani, eslicerent motus somniantes. Quod si insanorum visis fides non est habenda, quia falsa sunt; cur credatur somnium visis, quae multo etiam perturbatoria sunt, non intellego. An quod insanii sua visa conjectori non narrant, narrant qui somniaverunt? Quaero etiam, si velim scribere quid, aut legere, aut canere vel voce vel fidibus, aut geometricum quiddam<sup>61</sup>, aut physicum, aut dialecticum explicare, somnium exspectandum sit, an ars adhibenda, sine qua nihil earum rerum nec fieri nec expediri potest? Atqui ne si navigare quidem velim, ita gubernarem<sup>62</sup>, ut somniaverim: praesens enim poena sit. Qui igitur convenit, aegros a conjectore somniorum potius, quam a medico petere medicinam? An Aesculapius<sup>63</sup>, an Serapis potest nobis praescribere per somnum curationem valetudinis; Neptunus gubernantibus<sup>64</sup> non potest? et si<sup>65</sup> sine medico medicinam dabit Minerva; Musae scribendi, legendi, ceterarum artium scientiam somniantibus non dabunt? At si curatio daretur valetudinis, haec quoque, quae dixi, darentur: quae quoniam non dantur, medicina non datur: qua sublata, tollitur omnis auctoritas somniorum.

LX. Sed haec quoque<sup>66</sup> in promtu fuerint: nunc interiora videamus. Aut enim divina vis quaedam, consulens nobis, somniorum significaciones facit: aut conjectores ex quadam convenientia et conjunctione naturae, quam vocant *συμπάθειαν*, quid cuique rei conveniat ex<sup>67</sup> somniis, et quid quamque rem se-

60. *Quod si, c. t.,—.*] Infra iterum ac tertium ab iisdem particulis *Quod si* pergit: in quo dormitantem Ciceronem notat Hottinger.

61. *Aut geometricum quiddam . . . explicare.*] Harl. 2. *aliquid*: mihi autem videtur Cicero haec pronomina saepe permutare: vide ad *N. D.* i. 18.

62. *Ita gubernarem, ut somniarim.*] Levi mutatione scribi posset *gubernarim*: sed fortasse recte censem Moserum, nostrum, se *numquam id facturum* significare voluisse.

63. *An Aesculapius—?*] Plaut. *Circul.* i. 1. 61., “Aegrotus incubat In Aesculapii fano.” Harl. 2. *delet nobis.*

64. *Neptunus gubernantibus non*

*potest?*] Nempe *gubernationem*. Durior paulo ellipsis; sed nil mutandum. Frustra Harl. 2. *gubernando*.

65. *Et si sine medico—.*] Particulam *si* ex Walkeri sententia, et cod. Balliol. sequutus, delevit Davisius: sed, quam facile in uno codice *si* ante *sine* excidere potuerit, in aperto est. Infra Harl. 2. *delet somniantibus.*

66. *Sed haec quoque in promtu fuerint.*] Pro *quoque* conjectit Rathius cuique. Dubito: conf. c. 10. extr.

67. *Quid cuique rei conveniat ex somniis.*] Jungendum docet Wopkens. *quid ex somniis*, conferens infra c. 65. *id ex ovo*, ea pars ovi. Frustra autem voces *ex somniis* damnat Davisius.

quatur<sup>68</sup>, intellegunt: aut eorum neutrum est, sed quaedam observatio constans atque diurna est, quum quid visum secundum quietem sit, quid evenire et quid sequi soleat. Primum igitur intellegendum est, nullam vim esse divinam effetricem somniorum. Atque illud quidem perspicuum est, nulla visa somniorum proficisci a numine deorum: nostra<sup>69</sup> enim causa dii id facerent, ut providere futura possemus. Quotus igitur est quisque, qui somniis pareat? qui intellegat? qui meminerit? quam multi vero, qui contemnant, eamque superstitionem imbecilli animi atque anilis putent? Quid est igitur, cur his hominibus consulens deus, somniis moneat eos, qui illa non modo cura, sed ne memoria quidem digna ducant? nec enim ignorare deus potest, qua mente quisque sit: nec frustra ac sine causa quid facere, dignum deo est; quod abhorret etiam ab hominis constantia: ita si pleraque somnia aut ignorantur aut negleguntur; aut nescit hoc<sup>70</sup> deus, aut frustra somniorum significatione utitur: sed horum neutrum in deum cadit<sup>71</sup>: nihil igitur a deo somniis significari fatendum est.

LXI. Illud etiam requiro, cur, si deus ista visa nobis<sup>72</sup> providendi causa dat, non vigilantibus potius det<sup>73</sup> quam dormientibus. Sive enim externus et adventitus pulsus animos dormientium commovet, sive per se ipsi animi moventur, sive quae causa alia est cur secundum quietem aliquid videre, audire, agere videamur; eadem<sup>74</sup> causa vigilantibus esse poterat: idque si nostra causa dii secundum quietem facerent, vigilantibus idem facerent; praesertim quum Chrysippus, Academicos refellens, permulto clariora et certiora<sup>75</sup> esse dicat, quae vigilantibus videantur, quam quae somniantibus. Fuit igitur divina beneficentia dignius, quum consuleret<sup>76</sup> nobis, clariora

68. *Quid quamque rem sequatur.]* Harl. 2. et Moseri Cod. M. consequatur, quomodo Noster de *Fato* 5. Sed etiam infra idem Harl. 2. et quid consequi debeat (sic, non soleat).

69. *Nostra e. causa.]* Sic iterum c. 61.

70. *Aut nescit hoc deus.]* Nempe, ignorari pleraque somnia aut negligi. Pro *hoc* dedit Davisius ex suis ea, frustra.

71. *In deum cadit.]* Vide ad *N. D.* ii. 30. extr.; adde *pro Deiot.* 6.

72. *Si deus i. v. nobis—.]* Harl. 1. si deus nobis; at 2. delet nobis.

73. *Illud e. requiro, cur . . . non v. potius det.]* Harl. 2. dat; cf. *N. D.* ii. 6. extr., "si quis quaerat, unde habemus." Adde infra c. 71., et *Ovid.*

*Fast.* i. 91., 149., 295., etsi poëtica exempla in re tali levioris sunt momenti.

74. *Eadem causa.]* Nempe, quaecumque est ea.

75. *Clariora et certiora.]* Harl. 2., et Moseri Cod. S., certa: cf. *Sallust. Jug.* 89., "Majora et aspera adgredi tempus visum." adde nos ad *Catil.* 5., "pessuma ac divorsa inter se mala." item ad *Jug.* 31., "Ita, quam quisque pessume fecit, tam tutus est."

76. *Quum consuleret nobis.]* Scripsit Davisius *consulerent*, monens utique *divina* supra quasi *deorum* esse. Qua synesi pervulgata non ego tantopere capior, ut propterea velim singularem numerum omittere. Profecto non invitus Cicero singularem deum sig-

visa dare vigilantibus quam obscuriora<sup>77</sup> per somnium: quod quoniam non fit, somnia divina putanda non sunt. Jam vero quid opus est circumitione et amfractu, ut sit utendum interpretibus somniiorum, potius quam directo<sup>78</sup>? Deus, si quidem nobis consulebat<sup>79</sup>, *Hoc facito, Hoc ne feceris*, diceret; idque visum vigilanti potius quam dormienti daret.

LXII. Jam vero quis dicere audeat, vera omnia esse somnia? *Aliquot somnia vera*, inquit Ennius; *sed omnia non est necesse*. Quae est tandem ista distinctio? quae vera, quae falsa habet? Et si vera a deo mittuntur, falsa unde nascuntur? nam si ea quoque divina, quid inconstantius deo? quid insciatus<sup>80</sup> autem est, quam mentis mortalium falsis et mendacibus visis concitare? Sin vera visa divina sunt, falsa autem et inania humana; quae est ista designandi licentia, ut hoc deus, hoc natura fecerit<sup>81</sup> potius, quam aut omnia deus, quod negatis, aut omnia natura? Quod<sup>82</sup> quoniam illud negatis, hoc necessario confitendum est. Naturam autem eam dico, qua numquam<sup>83</sup> animus insistens agitatione et motu esse vacuus potest. Is quum languore corporis nec membris uti nec sensibus potest, incidit<sup>84</sup> in visa varia et incerta; ex reliquiis, ut ait Aristoteles<sup>85</sup>, inhaerentibus earum rerum, quas vigilans<sup>86</sup> gesserit aut cogitaverit: quarum perturbatione mirabiles interdum existunt species somniiorum. Quae si alia falsa, alia vera; qua nota

nificat. Infra h. c., "Deus, si quidem nobis consulebat, . . . diceret; . . . daret." Supra c. 60., "Quid est igitur, cur his hominibus consulens deus,—?"

77. *Clariora . . . quam obscuriora.*] Potius clara quam obscura. Sic *pro Mil.* 29., "Ne . . . hubentius haec in illum evomere quam verius." *de Opt. Gen. Orat.* 2., "Alius acutiorem se quam ornatorem velit." et alibi.

78. *Potius quam directo.*] Junge cum superioribus, *quid opus est*; nam male Meyerus *utendum* subaudit. Pro *directo* mallet quis *directā*: at frusta, opinor, conjicit Davisius,—*somniorum?* *Potius, inquam, directo deus—.*

79. *Si quidem nobis consulebat.*] Recte Kayserus:—si quidem nobis consuleret, quod vos re vera eum facere vultis.

80. *Quid insciatus.*] Quid minus dignum divina sapientia.

81. *Ut . . . fecerit.*] I. e., ut fecisse dicatur; ut recte Kayserus. Post

*quam frustra Davisius addidit ut.*

82. *Quod quoniam illud negatis, hoc—.*] Pronomen *hoc* delendum ait Ernestius; esse enim in *quod*: nempe oblitus ille, quid ipse docuerit de particula *quod* in *Clav. Cic.*: ubi vide.

83. *Qua numquam animus insistens a. et m. esse vacuus potest.*] Jungenendum *numquam* docet Ernestius cum *vacuus esse potest*. Ego vero illud non minus ad *insistens*, sed pariter ad utrumque censeo pertinere: ut sit, *per quam numquam animus insistere, numquam agitatione et motu esse vacuus potest*. Conf. illud *N. D.* ii. 44., "Post Lepus subsequitur, 'Curriculum numquam defecto corpore sedans.'" ubi frusta conjicit Davisius *indefecto*.

84. *Incidit in visa.*] Cf. c. 44. extr.

85. *Ut ait Aristoteles.*] Lib. περὶ ἐννυπνίων cap. 3., adnotante Davisio.

86. *Quas vigilans gesserit.*] Sic etiam c. 63., *animus vigilans, dormiens*; adde i. 49. et 57., ubi vide.

internoscantur, scire sane velim. Si nulla est, quid istos interpres audiamus? sin quaepiam est, aveo<sup>87</sup> audire quae sit: sed haerebunt<sup>88</sup>.

LXIII. Venit enim jam in contentionem, utrum sit probabilius, deosne immortalis, rerum omnium praestantia excellentis, concursare<sup>89</sup> omnium mortalium, qui ubique sunt, non modo lectos, verum etiam grabatos, et, quum stertentis aliquos<sup>90</sup> viderint, objicere his visa quaedam tortuosa et obscura, quae illi exterriti somnio ad conjectorem mane deferant; an natura fieri, ut mobiliter<sup>91</sup> animus agitatus, quod vigilans viderit, dormiens videre videatur. Utrum philosophia dignius, sagarum superstitione ista interpretari, an explicazione naturae? ut, si jam fieri possit vera conjectura somniorum, tamen isti, qui profitentur<sup>92</sup>, eam facere non possint: ex levissimo enim et indoctissimo genere constant. Stoici autem tui negant quemquam, nisi<sup>93</sup> sapientem, divinum esse posse. Chrysippus quidem divinationem definit his verbis: *Vim cognoscentem*<sup>94</sup>, *et videntem, et explicantem signa, quae a diis hominibus portendantur*: officium autem esse ejus, praeoscere, dii erga homines mente qua sint, quidque significant, quemadmodumque ea procurentur atque expientur. Idemque somniorum conjectionem definit hoc modo, *Esse vim cernentem, et explanantem, quae a diis hominibus significantur in somniis*. Quid ergo? ad haec mediocri opus est prudentia, an et ingenio praestanti, et eruditione perfecta? talem autem cognovimus neminem.

LXIV. Vide igitur, ne, etiam si divinationem tibi esse concessero, quod numquam faciam; neminem tamen divinum reperire possimus. Qualis autem ista mens est deorum, si neque

87. *Aveo audire.*] Etiam nostri tres, sicuti omnes Palatini, *habeo*.

88. *Sed haerebunt.*] Cf. *N. D.* iii. 24., "In multis enim nominibus *haereditis*." adde *Acad.* iv. 5., *de Fin.* i. 6.

89. *Concursare . . . lectos.*] Cf. apud Dav. *Epist. ad Fam.* vii. 1., "Ut nostras villas obire et . . . concursare possis." et *pro Mur.* 21., "Quum jam . . . omnes fere domos omnium concurent."

90. *Quum stertentis aliquos viderint.*] Harl. 1. et 2., item quatuor Moseri, *stertentem aliquem*; eaque verior lectio esse potest; nam facile e re ipsa in reliqua structura numeros exsistat pluralis: vide nos ad *Salust. B. J.* 96.; adde *Monk. ad Eur.*

*Hipp.* 78—80.

91. *Mobiliter.*] Interpretatur Hotting., pro sua mobilitate. Cf. *N. D.* ii. 9., "quum cor . . . mobiliter palpitaret."

92. *Tamen isti . . . eam facere n.* p.] Distinguit Hottinger., *tamen isti, qui profitentur eam, facere non possint.* Non magnopere refert; etsi nescio an in ista distinctione *ipsam* potius requirerem.—*Supra si jam:* vide ad c. 44.

93. *Negant quemquam, nisi s. d. e.* p.] Multi libri, *negant quemquam posse*, omissis ceteris. Vulgatam servant Harl. 1. et 2.

94. *Vim cogn., et vid. et expl. s.*] I. e. quae et videat et explicet,

ea nobis significant in somnis quae ipsi per nos intellegamus, neque ea quorum interpretes habere possimus? similes enim sunt dii, si ea nobis objiciunt, quorum neque scientiam neque explanatorem<sup>95</sup> habeamus, tamquam si Poeni, aut Hispani in senatu nostro loquerentur sine interprete. Jam vero quo pertinent obscuritates et aenigmata somniorum? intellegi enim a nobis dii velle debebant ea, quae nostra causa nos monerent. Quid? poëta, nemone<sup>96</sup> physicus obscurus? Illi<sup>97</sup> vero: nimis etiam obscurus Euphorion: at non Homerus. Uter igitur melior? Valde Heraclitus<sup>98</sup> obscurus: minume Democritus. Num igitur conferendi? Mea causa me mones, quod non intellegam? Quid me igitur mones? Ut si quis medicus aegroto imperet, ut sumat

Terrigenam<sup>99</sup>, herbigradum, domi-portam, sanguine cassam,  
potius quam hominum<sup>1</sup> more cochleam dicere<sup>2</sup>. Nam Pacuvianus Amphio,

Quadrupes<sup>3</sup> tardigrada, agrestis, humilis, aspera,  
Capite brevi, cervice anguina, adspectu truci,  
Eviscerata, inanima, cum animali<sup>4</sup> sono,

95. *Neque explanatorem.*] Non nulli codices *explanationem*, frusta: cf. illa, "neque ea quorum *interpretes* habere possimus."

96. *Quid? poëta, nemone physicus obscurus?*] Sic Harl. omnes, quinque Moseri: vulg. *Quid? poëta nemo, nemo ph.* Sed, particula enclitica addita, semel scriptum vocabulum *nemo* bis intelligi potest: conf. *Horat. Od. ii. 7. 25., Serm. i. 2. 63.; 8. 2., ii. 3. 180. 242.*; adde not. ad i. 43. supra.

97. *Illi vero.*] Puta saepe fiunt obscuri. Sic autem bene, opinor, Lambinus: nam, quod ait Orell. sic dicere Cie., omnes poëtas omnesque physicos obscuros esse, in eo nimis omnino acutus est vir doctissimus. Exempla particulae contulit Hotting. c. 55. supra, "Ille vero: et ea quidem etc.;" de *Off.* iii. 13., de *N. D.* ii. 10. At in vulgata *Ille vero nimis etiam obscurus Euphorion*, uni tantummodo interrogationis parti respondetur, et exemplum affertur, quem res ipsa potius affirmanda esset.—*Euphorion:*

scribit Moser. *Euphorio*, ex *praecepto Schneideri.*

98. *Valde Heraclitus obscurus.*] Cf. *N. D.* iii. 14.

99. *Terrigenam*, etc.] Versum, qui est apud *Athenae.* lib. ii. p. 63., adtulit Davisius: Υλογενής, ἀνάκανθος, ἀναιματος, ὑγροκέλευθος.

1. *Hominum more.*] I. e. usitato. Contulit Davisius *Straton.* ap. *Athen. ix.* 383. ἀνθρωπίνως λαλεῖν, *Aristoph. Ran.* 1090. ἀνθρωπείως φράζειν, *Petron. Satyr.* 90. *humane loquari.*

2. *Potius quam . . . dicere.*] Quod supra est, *imperet*, accipe pro *imperare velit.* Cf. *Liv.* xxvi. 32., "Cum tyrannis bellum gerundum fuisse (geri oportuisse), . . . et urbem *recipi* non *capi.*" Eurip. *Rhes.* 105., εὐβούλος, ὡς δρᾶσαι χερί.

3. *Quadrupes tardigrada.*] Cf. *Tertull. de Pallio* 3., apud Davisium, "Est et 'Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera.' Testudinem Pacuvianam putas?"

4. *Cum animali sono.*] Cum sono spirantis atque viventis.

quam dixisset obscurius; tum Attici<sup>5</sup> respondent, *Non intellegimus, nisi aperte dixeris.* At<sup>6</sup> ille uno verbo, *Testudo.* Non potueras hoc igitur a principio, citharista, dicere?

LXV. Defert ad conjectorem quidam, somniasse se, ovum pendere ex fascia lecti sui cubicularis. Est hoc in Chrysippi libro Somniūm<sup>7</sup>. Respondit<sup>8</sup> conjector, thesaurum defossum esse sub lecto. Fodit: invenit auri aliquantum, idque circumdatum argento: misit conjectori quantulum visum est de argento. Tum ille, Nihilne, inquit, de vitello? id enim ei ex<sup>9</sup> ovo videbatur aurum declarasse; reliquum, argentum. Nemone igitur umquam alias ovum somniavit? cur ergo hic nescio qui<sup>10</sup> thesaurum solus invenit? Quam multi inopes, digni praesidio deorum, nullo somnio ad thesaurum reperiendum admonentur? Quam autem ob causam tam est obscure admonitus, ut ex ovo nasceretur<sup>11</sup> thesauri similitudo potius, quam aperte thesaurum quaerere juberetur; sicut aperte Simonides vetitus est navigare? Ergo obscura somnia minume consentanea majestati deorum.

LXVI. Ad aperta et clara veniamus, quale est de illo<sup>12</sup> interfecto a caupone Megaris: quale de Simonide, qui ab eo, quem humarat, vetitus est navigare: quale etiam de Alexandro; quod a te praeteritum esse miror: qui, quem Ptolemaeus, familiaris ejus, in proelio telo venenato ictus esset, eoque vulnere summo cum dolore moreretur; Alexander<sup>13</sup> adsidens, somno est consopitus. Tum secundum quietem visus ei dicitur draco is, quem mater Olympias alebat<sup>14</sup>, radiculam ore ferre, et si-

5. *Tum Attici respondent.*] Cod. Rehdiger. *acciti* pro *Attici*; neque quid rei hic Attici habeant quod gerant, facile dixeris. Ingeniosa autem est Orellii conjectura *Astici—ἀστεος* Thebarum incolae. Mox scribi vult Dav. *nisi si*, ut versus Pacuvianus constet.

6. *At ille—.*] Dav. ex uno *Ait ille*, frustra. Infra Harl. I. poteras.

7. *Est hoc in Chrysippi libro Somniūm.*] Ηερὶ ἐννπνιων. Nempe accipio ego somnium pro somniōrum. Supra i. 21. Vetus Poëta, "Quo sese vertant tantae sortes somniūm." et c. 58. Ennius, "interpretes somniūm." Ad usum autem genitivi quod attinet in illo, *libro Somniorum*, h. e. de Somniis, cf. N. D. i. 12., *in Legum libris*.

8. *Respondit conjector.*] Dav. e cod. Paris. *Respondeat*; ita etiam Harl. I., unus Moseri.

9. *Id . . . ex ovo.*] Ea pars ovi.

10. *Hic nescio qui.*] Discremen inter *nescio quis* et *nescio qui* statuit Goerenz. ad Cic. Acad. ii. 25., "Prius semper in contemptu poni, posteriore rem notari quam vel nescias, vel non tantam judices ut accuratius designes."

11. *Nasceretur.*] Exsisteret. Conj: Hott. *nosceretur*, frustra.

12. *De illo.*] Supra i. 27.

13. *Alexander adsidens.*] Addidit nomen ἀνακολούθως propter tam multa intercedentia, et ex abundanti, si quidem supra est pronomen relativum de ipso Alexandro. Similem negligentiam in nominibus propriis animadvertis Wopkens. (in Misc. Obs.) ad Justin. ix. 6.

14. *Draco is, quem . . . alebat.*] Vide de isto more (monente Davisio) Is. Casaubon. ad Sueton. Tib. 72.

mul dicere quo illa loci nasceretur, (neque is longe aberat ab eo loco) ejus autem esse vim tantam, ut Ptolemaeum facile sanaret. Quum Alexander expperrectus narrasset amicis somnium, emisisse qui illam radiculam quaererent: qua inventa, et Ptolemaeus sanatus dicitur, et multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati. Multa etiam sunt a te ex historiis<sup>15</sup> prolata somnia, matris Phalaridis, Cyri superioris, matris Dionysî, Poeni Hamilcaris, Hannibalis, P. Decî: pervolgatum jam illud de praesule Gracchi etiam, et recens Caeciliae, Balearici filiae, somnium. Sed haec externa<sup>16</sup>, ob eamque causam ignota nobis sunt; nonnulla etiam ficta fortasse: quis enim auctor istorum? De nostris somniis quid habemus<sup>17</sup> dicere? tu de mero me, et equo ad ripam: ego de Mario cum fascibus laureatis me in suum deduci jubente monumentum.

LXVII. Omnim somniorum, Quinte, una ratio est: quae, per deos immortalis, videamus ne nostra superstitione et depravatione supereretur<sup>18</sup>. Quem enim tu Marium visum a me putas? Speciem, credo, ejus et imaginem, ut Democrito<sup>19</sup> videtur. Unde profectam imaginem? A corporibus enim solidis et a certis<sup>20</sup> figuris volt fluere imagines: quod igitur Marii corpus erat? Ex eo<sup>21</sup>, inquit, quod fuerat: plena sunt imaginum omnia. Ista igitur me imago Marii in campum Atinatem persequebatur: nulla enim species cogitari potest, nisi pulsu imaginum. Quid ergo? istae imagines ita nobis dicto audientes sunt, ut, simul atque velimus, adcurrant? etiamne earum rerum, quae nullae<sup>22</sup> sunt? quae est enim forma tam inusitata<sup>23</sup>, tam nulla<sup>24</sup>, quam non sibi ipse fingere<sup>25</sup> animus possit? ut, quae

15. *Multa etiam ... ex historiis—.]*  
Supra i. 20, 23, 24, 26, 28.

16. *Sed haec externa.]* Nempe pleuraque.

17. *Habemus dicere.]* Vide ad N. D. i. 23.

18. *Ne nostra superstitione et depravatione supereretur.]* Interpretatur Moserus: "Omnium somniorum una ratio est, nimimum ut sint vana: quam vanitatem caveamus ne perversa nostra explicatione et quasi applicatione etiam supereremus." Ego malim sic: Omnim somniorum una ratio est: quae quo minus possit valere, videamus ne nostra superstitione et pravitate animi efficiatur.

19. *Ut Democrito videtur.]* Vide ad c. 58. supra.

20. *A certis figuris ]* I. e. veris,

quas in rerum natura extare vel existisse constet.

21. *Ex eo, inquit, quod fuerat.]*  
Nempe profectam.

22. *Earum rerum, quae nullae sunt.]*  
Cf. N. D. i. 38., "Quid, quod earum rerum, quae numquam omnino fuerunt neque esse potuerunt, ut Scyllae, ut Chimaerae?" sc. imagines in animum incurront.

23. *Tam inusitata.]* Dav. ex Pal. 1. *invistitata;* frustra; etsi habent etiam tres Moseri.

24. *Tam nulla.]* Tam a veritate atque a natura rerum remota.

25. *Fingere animus possit.]* Ita Dav. e. codd. pro *animus possit effingere.* Ad rem cf. N. D. i. 15., "Mens nostra quidvis videtur cogitatione posse depingere."

numquam vidimus, ea tamen informata<sup>26</sup> habeamus, oppidorum situs, hominum figuræ. Num igitur, quum aut muros Babyloniæ aut Homeri faciem cogito, imago illorum me aliqua pellit<sup>27</sup>? Omnia igitur, quæ volumus, nota nobis esse possunt<sup>28</sup>: nihil est enim, de quo cogitare nequeamus. Nullæ ergo imagines obrepunt in animos dormientium extrinsecus; nec omnino fluunt illæ<sup>29</sup>: nec cognovi quemquam, qui, majore auctoritate<sup>30</sup>, nihil<sup>31</sup> diceret. Animorum est ea vis eaque natura, ut vigeant vigilantes, nullo adventitio pulsu, sed suo motu, incredibili quadam celeritate. Hi quum sustinentur membris et corpore<sup>32</sup> et sensibus, omnia certiora cernunt, cogitant, sentiunt: quum autem haec subtracta sunt, desertusque est animus languore corporis, tum agitatur ipse per sese: itaque in eo et formæ<sup>33</sup> versantur, et actiones: et multa audiri, multa dici videntur. Haec scilicet in imbecillo remissoque animo multa<sup>34</sup> omnibus modis confusa et variata versantur, maxumeque reliquæ rerum earum moventur in animis et agitantur, de quibus vigilantes aut cogitavimus aut egimus: ut mihi temporibus illis multum in animo Marius versabatur, recordanti, quam ille gravem suum casum magno animo, quam constanti tulisset. Hanc<sup>35</sup> credo causam de illo somniandi fuisse.

LXVIII. Tibi autem de me cum sollicitudine cogitanti subito sum visus emersus<sup>36</sup> e flumine: inerant enim in utriusque

26. *Informata.*] Cf. *N. D.* i. 15., “Magnam turbam congregat ignotorum deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne conjectura quidem *informare* possimus.”

27. *Imago . . . pellit?*] Supra h.c., *pulsu imaginum*.

28. *Omnia igitur . . . possunt.*] Nempe eo usque ducit Democriti ratio: at absurdum est hoc quidem: ergo falsa illa. Male Kayserus haec ad superiora illa refert, “Quae est enim forma . . . quam non sibi ipse fingere animus possit?” Nam plane tantumdem infra continuo sequitur, “nihil est enim, de quo cogitare nequeamus.” Hoc autem *cogitare* superius *cogito* respicit.

29. *Nec omnino fluunt illæ.*] Nec omnino fluunt imagines; atque adeo ne sunt quidem. Non recipio ego Davisii conjecturam, *ullæ pro illæ*. Etsi videtur Cicero negligentius pronomen pro nomine adhibuisse.

30. *Majore auctoritate.*] Nempe, quum esset.

31. *Nihil diceret.*] Nihil ad rem: cf. *de Senect.* 6., “*Nihil* igitur afferrunt, qui in re gerenda versari senectutem negant.” Contra *aliquid dicere* est supra c. 52. extr., ubi vide.

32. *Membris et corpore.*] Harl. I. *membris corporis sensibus*, neglecta copula. Frustra autem Davisius *voices et corpore delendas censem*.—*Infra, desertusque est:* verbum substantivum addidit Dav. e codd. duobus.

33. *Formae versantur.*] Puta hominem.

34. *Haec . . . multa omnibus modis confusa—.*] I. e., multa quum sint, tum omnibus modis confusa et varia ta versantur. Praepositionem ante *imbecillo* recte restituit Dav.

35. *Hanc credo causam . . . fuisse.*] I. e. *Hoc fuisse causam:* cf. *N. D.* i. 27., extr., “*eam esse causam, cur—.*” adde nos ad *Sallust. Jug.* 20.

36. *Subito sum visus emersus e flumine.*] Sed prius utique demersus in flumen; id quod facile atque ultro intelligi potest, in re praesertim jam

nostrum animis vigilantium<sup>37</sup> cogitationum vestigia. At quae-dam adjuneta sunt: ut mihi<sup>38</sup> de monumento Marī; tibi, quod equus, in<sup>39</sup> quo ego vehebar, mecum una demersus rursus ad-paruit. An tu censes ullam anum<sup>40</sup> tam deliram futuram fuisse, ut somniis crederet, nisi ista casu nonnunquam, forte, temere concurrerent? Alexandro draco loqui visus est. Potest omnino hoc esse falsum, potest verum: sed, ut<sup>41</sup> verum sit, non est<sup>42</sup> mirabile: non enim audivit ille draconem loquentem, sed est visus audire; et quidem, quo majus<sup>43</sup> sit, quum radicem ore teneret, loquiutus est. Sed nihil est magnum somnianti<sup>44</sup>. Quaero autem, cur Alexandro tam illustre somnium, tam certum, nec huic eidem alias, nec multa ceteris. Mihi quidem, praeter hoc Marianum, nihil sane quod meminerim. Frustra igitur consumtae tot noctes tam longa in aetate. Nunc quidem, propter intermissionem forensis operae, et lucubrationes detraxi, et meridianes<sup>45</sup> addidi, quibus uti antea non solebam: nec, tam multum dormiens<sup>46</sup>, ullo somnio sum admonitus, tantis praesertim de rebus: nec mihi magis umquam<sup>47</sup> videor, quam quum aut in foro magistratus, aut in curia senatum<sup>48</sup> video, somniare.

### LXIX. Et enim<sup>49</sup> (ex divisione hoc secundum est) quae-

fuse narrata supra i. 28. Frustra ergo argutias quaerit Hottinger.

37. *Vigilantium cogitationum vestigia.*] Earum, quas vigilantes habebamus.

38. *Ut mihi.*—.] Puta somnianti; i. e. in meo somnio.

39. *In quo ego vehebar.*] Cf. *Quadrigar.* apud *Gell.* ii. 2. s. f., "Ei consuli pater proconsul obviam in equo vehens venit." adde *Cic. pro Mil.* 10. et 21.

40. *Ullam anum tam deliram.*] Cf. *Tusc.* i. 21., "Quae est anus tam delira, quae timeat ista?"

41. *Sed, ut verum sit.*—.] Sed esto, verum sit; tamen non est mirabile. Ita scribo, pro vulg. *sed utrum sit*, e conjectura quidem, sed ea necessaria, credo: nisi forte quis ea miratur, quae falsa esse cognorit. Particulam concessivam *ut* jam semel atque iterum illustravi, supra c. 14. et i. 6. et 30. Sed cum hac emendatione nostra operae pretium est etiam illa conferre: *Phil.* xiii. 16., "Omnino, mea quidem sententia, legem illam appellare fas non est; et, ut sit lex,

non debemus illam Hirtii legem putare." *de Fin.* ii. 31., "Nullus est igitur cujusquam dies natalis: ... sed, ut sit, etiamne post mortem coleatur?"

42. *Non est mirabile.*] Plures libri esse, ut pendeat a potest.

43. *Quo majus sit.*] Magis mirabile: cf. *N. D.* ii. 45. init.

44. *Nihil est magnum somnianti.*] Nihil magnum videtur: de usu dativi vide ad *N. D.* i. 28. extr. *Magnum* autem, i. e. difficile.

45. *Meridianes.*] Est ἄπαξ λεγόμενον. Verbi autem *meridiare* sive *meridiari* exempla praebet Forcellinus.

46. *Tam multum dormiens.*] Quum tam multum dormirem.

47. *Magis umquam.*] Sic codd. plures; vulg. *usquam.*

48. *Magistratus . . . senatus.*] Nempe, quum omnia in unius potestatem cessissent, non jam nisi species quaedam reipublicae ac simulachrum exstebat.

49. *Et enim.*] Particula transitio-nis: cf. c. 3. supra, *N. D.* i. 33.

est continuatio conjunctioque naturae (quam, ut dixi<sup>50</sup>, vocant *συμπάθειαν*) ejusmodi, ut thesaurus ex ovo intellegi debeat? Nam medici ex quibusdam rebus et advenientis et crescentis morbos intellegunt: nonnullae<sup>51</sup> etiam valetudinis significations, ut hoc ipsum, *pleni enectine*<sup>52</sup> *simus*, ex quodam genere somniorum intellegi posse dicuntur. Thesaurus vero, et hereditas, et honos, et victoria, et multa generis ejusdem, qua cum somniis naturali cognatione junguntur? Dicitur quidam, quum in somnis complexu Venerio jungeretur, calculos ejecisse. Video sympathiam: visum est enim tale objectum dormienti, ut id, quod evenit, naturae vis, non opinio erroris<sup>53</sup> effecerit. Quae igitur natura obtulit illam speciem Simonidi, a qua varetur navigare? aut quid naturae copulatum habuit Alcibiadis, quod scribitur, somnum? qui, paulo ante interitum, visus est in somnis amicae esse amictus amiculo<sup>54</sup>. Is quum esset projectus inhumatus, ab omnibusque desertus jaceret; amica corpus ejus texit suo pallio. Ergo hoc inerat in rebus futuris, et causas naturalis habebat? An, et ut videretur et ut eveniret, casus effecit?

LXX. Quid? ipsorum interpretum conjecturae nonne magis ingenia declarant eorum, quam vim consensumque naturae? Cursor ad Olympia proficisci cogitans<sup>55</sup>, visus est in somnis currū quadrigarum vehi. Mane ad conjectorem. At ille, Vinces, inquit: id enim celeritas significat et vis equorum. Post idem ad Antiphontem. Is autem, Vincare, inquit, necesse est. An non intellegis quatuor ante te cucurrisse? Ecce alias cursor<sup>56</sup>. Atque horum somniorum et talium plenus est Chrysippi liber, plenus Antipatri: sed ad cursorem redeo. Ad interpretem detulit, aquilam se in somnis visum esse factum. At ille, Vicisti<sup>57</sup>: ista enim avi volat nulla vehementius. Huic

50. *Ut dixi.]* Supra c. 14.

51. *Nonnullae . . . dicuntur.]* Frustra Moserus e scriptis duobus atque editis Manutii, Victorii, et R. Steph. *nonnullas . . . dicunt*. Nam non medici solummodo, opinor, istud dicebant. Sunt autem h. l. codices fere lacunosi.

52. *Pleni enectine simus.]* Sane ex multis rebus istud quidem intelligi potest, ex vultu atque habitu corporis, ex ipso aegroto, si loqui velit, sin minus, ex convictoribus ejus. Ingeniosa autem est Hottingeri conjectura, *spleneticine*. Sed recte fortasse vulgatam interpreteris: humorum abundantia nimia an contra inopia

laboremus.

53. *Non opinio erroris.]* Sive *error opinionis*.

54. *Amicae — amictus amiculo.]* Nota alliterationem.

55. *Proficisci cogitans.]* Vide ad N. D. iii. 1.

56. *Ecce alias cursor.]* Nempe fuit. Jungit Davisius quidem, *Ecce alias cursor ( . . . ) ad interpretem detulit*. Sed obstant illa, *Sed ad cursorem redeo*; quibus Cicero quodam modo anacoluthon fatetur.

57. *Vicisti.]* De tempore praesenti perfectae rei, vide ad *Sallust. Jug.* 107. et 14.

equidem<sup>58</sup> Antiphon, Baro, inquit, te victum esse non vides? ista enim avis insectans alias avis et agitans, semper ipsa pos-trema est. Parere quaedam matrona cupiens, dubitans essetne praegnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam<sup>59</sup>: re-tulit. Negavit eam, quoniam obsignata fuisse, concipere po-tuisse. At alter, praegnantem esse dixit: nam inane obsignari nihil solere. Quae est ars conjectoris<sup>60</sup> eludentis ingenio. An ea, quae dixi, et innumerabilia, quae collecta habent Stoici, quid-quam significant, nisi acumen hominum, ex similitudine aliqua conjecturam modo huc, modo illuc ducentium<sup>61</sup>? Medici signa quaedam habent ex venis et ex spiritu aegroti; multisque ex aliis futura praesentiunt. Gubernatores quum exsultantis loligines viderint aut delphinos se in portum conjicientis, tempe-statem significari putant. Haec ratione explicari et ad naturam revocari facile possunt: ea vero, quae paulo ante dixi, nullo modo.

LXXI. At enim observatio diurna, (haec enim pars una restat) notandis rebus fecit artem. An<sup>62</sup> tandem somnia ob-servari possunt? quoniam modo? sunt enim innumerabiles va-rietates. Nihil tam praepostere, tam incondite, tam monstruose cogitari potest, quod non possimus somniare. Quo modo igitur haec infinita et semper nova, aut memoria complecti, aut obser-vando notare possumus? Astrologi motus errantium stellarum notaverunt: inventus est enim ordo in iis stellis, qui non puta-batur. Cedo tandem, qui sit ordo, aut quae concursatio<sup>63</sup> somniorum? quo modo autem distingui possunt vera somnia a falsis, quum eadem et aliis aliter evadant, et ipsis non semper eodem modo? ut mihi mirum videatur, quum mendaci homini ne verum quidem dicenti credere soleamus, quo modo isti, si somnium verum evasit aliquod, non ex multis potius uni fidem derogant, quam ex uno innumerabilia confirmant<sup>64</sup>. Si igitur

58. *Huic equidem Antiphon.]* Lam-binus *Huic eidem.* Ernest. e. cod. Guelf., item Moserus e Leidensibus duobus, *Huic quidem.* An? *Huic aeque fidem Antiphon.*

59. *Naturam.]* Uterum. Vide ad *N. D.* iii. 22.

60. *Quae est ars conjectoris eluden-tis ingenio.]* Sustuli punctum post conjectoris, item interrogandi notam, quam exhibent vulgati post *ingenio*, sed quae mihi quidem plane aliena videtur. Sic nihil opus addere, sicut addunt plerique, *ista post est.*

61. *Conjecturam . . . ducentium.]* Sic iterum infr. c. 71. extr.

62. *An tandem somnia—?*] Mose-rus e Leidens. 1. *Ain' tandem? som-nia obs. p.?* quae forma potius iis dialogis ubi disputantes cominus rem gerunt, quam huic continuae orationi, apta est.

63. *Concursatio somniorum.]* Cf. c. 68. *concurrenter.* Harl. 1. *quis sit ordo aut concursatio,* omissa quae; 2. atque *concursio.*

64. *Ut mihi mirum videatur, . . . quo modo isti . . . derogant . . . confir-mant.]* Harl. 1. *confirment;* sed idem derogant. Indicandi modum tuerit Wopkens. p. 144. Cf. *N. D.* ii. 6. extr., “si quis quaerat, unde habe-

neque deus est effector somniorum, neque naturae societas ulla cum somniis, neque observatione inveniri potuit scientia; effectum<sup>65</sup> est, ut nihil prorsus somniis tribuendum sit: praesertim quum illi ipsi, qui ea vident, nihil divinent; ii, qui interpretantur, conjecturam adhibeant, non naturam<sup>66</sup>: casus autem innumerabilibus paene saeculis in omnibus plura mirabilia, quam in somniorum visis effecerit: neque conjectura, quae in varias partis duci possit<sup>67</sup>, nonnumquam etiam in contrarias, quidquam sit incertius.

LXXII. Explodatur haec quoque somniorum divinatio pariter cum ceteris: nam, ut vere loquamur, superstitione fusa per gentis, oppressit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit: quod et in iis libris dictum est qui sunt de Natura Deorum, et hac disputatione id<sup>68</sup> maxume egimus: multum enim et nobismet ipsis et nostris profuturi videbamur, si eam funditus sustulissetsemus. Nec vero (id enim diligenter intellegi volo) superstitione tollenda religio<sup>69</sup> tollitur. Nam et majorum instituta tueri sacris caerimoniisque retinendis, sapientis<sup>70</sup> est: et esse praestantem aliquam<sup>71</sup> aeternamque naturam, et eam suspiciendam<sup>72</sup> admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi ordoque rerum coelestium cogit confiteri. Quamobrem, ut religio propaganda etiam<sup>73</sup> est, quae est juncta cum cognitione naturae; sic superstitionis stirpes omnes ejicienda<sup>74</sup>. Instat enim, et urguet, et quo te cum-

*mus,*" Adde not. ad. c. 61. supra.

65. *Effectum est, ut—.]* Cf. de Off. i. 45., "Quare hoc quidem effectum sit, in officiis diligendis id genus officiorum excellere," adde ib. iii. 5.—Supra post *societas addidit Lambinus est.*

66. *Non naturam.]* Supra: "neque naturae societas ulla cum somniis."

67. *Quae . . . duci possit.]* Dedit possit pro potest Davisius ex ed. Vict.: sed habent id etiam codices satis multi.

68. *Quod et . . . dictum est, . . . et id m. egimus.]* Conf. Tusc. v. 3., "Quem . . . ferunt venisse, eumque . . . disseruisse." Acad. i. 7., "Quam vim animum esse dicunt mundi, eamdemque esse mentem sapientiamque perfectam." de Fin. ii. 2., "Finem definiebas id esse, quo omnia, quae recte fierent, referrentur, neque id ipsum usquam referretur." i. e. quodque ipsum nusquam. Quae exempla cum aliis attulit Wopkens. Lect.

Tull. i. 19. p. 105.

69. *Nec . . . religio tollitur.]* Cf. N. D. ii. 28., "Non enim philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt."

70. *Nam . . . sapientis est.]* Cf. c. 12. et 33. supra, N. D. iii. 2.

71. *Esse praestantem aliquam.]* Cf. N. D. ii. 35. extr., Tusc. i. 28. extr.

72. *Suspiciendam.]* Cf. de Off. ii. 10., "Itaque eos viros suspiciunt maximisque efferunt laudibus, in quibus—." Orat. 38., "Sed hanc eloquentiam, . . . quam suspicent omnes, quam admirarentur." Male edd. vet. nonnullae *suscipiendam*.

73. *Propaganda etiam.]* Non modo retinenda.

74. *Superstitutionis stirpes omnes ejicienda.]* Superstitione omnino stirpitus ejicienda. Contulit Ochsnerus apud Moser. Tusc. i. 15., "Illam vero funditus ejiciamus individuorum corporum concursionem fortuitam."

que<sup>75</sup> verteris, persequitur; sive tu vatem, sive tu omen audieris; sive immolaris, sive avem adspexeris; si Chaldaeum, si haruspicem videris; si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit<sup>76</sup> de coelo, si ostenti simile natum factumve quidpiam: quorum necesse est plerumque aliquid eveniat, ut numquam liceat quieta mente consistere. Perfugium videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus. At ex eo ipso plurimae curae metusque nascuntur: qui quidem ipsi per se minus valerent et magis contemnerentur, nisi somniorum patrocinium philosophi suscepissent, nec ii quidem contemtissimi, sed in primis acuti, et consequentia et repugnantia videntes; qui prope jam absoluti et perfecti putantur: quorum licentiae nisi Carneades restisset, haud scio, an soli jam philosophi judicarentur. Cum quibus<sup>77</sup> omnis fere nobis disceptatio contentioque est; non quod eos maxume contemnamus<sup>78</sup>, sed quod videntur acutissime sententias suas prudentissimeque defendere. Quum autem proprium sit Academiae<sup>79</sup>, judicium suum nullum interponere, ea probare, quae similluma veri videantur, conferre causas, et, quid in quamque sententiam dici possit, expromere; nulla adhibita sua auctoritate, judicium audientium<sup>80</sup> relinquere integrum ac liberum: tenebimus hanc consuetudinem a Socrate traditam; eaque inter nos, si tibi, Quinte frater, placebit, quam saepissime utemur. Mihi vero, inquit ille, nihil potest esse jocundius. Quae cum essent dicta, surreximus.

75. *Quo te cumque verteris.*] Sic per tmesin etiam supra c. 2. *qua re cumque*, et saepe Cicero. Multi autem libri, etiam Harl. 1. et 3., *quo te Quinte verteris*, frustra.

76. *Si tactum aliquid erit.*] Ad h. l. Davisius:—"Lege fuerit; ut antea si fulserit, si tonuerit: nisi Cicero modos variarit." Quem contra recte Kayserus:—"Quasi vero *tactum* erit non sit futurum exactum! Erit est futurum, *tactum* exactum: *Tactum* fuerit haberet aliquid quod abundaret, quasi πλεονασμόν: neque est vituperandum, quod Krebsius in Gramm. Lat. p. 112. ut paradigma futuri exacti passivi nonnisi *amatus ero* posuit."

77. *Cum quibus.*] De geminato relativo vide ad i. 54.

78. *Non quod . . . contemnamus, sed quod videntur.*] Recte subjunctivo utitur, ubi non *causam* modo ne-

gat, sed negat *rem ipsam*: recte indicandi modo, ubi utramque, et *rem et causam*, confirmat.

79. *Academiae.*] Cf. *Tusc.* v. 29., *N. D.* ii. 67. Vocem *proprium* delet etiam Harl. 3., sicuti aliquot apud alios.

80. *Judicium audientium relinquere integrum.*] Quod vir doctissimus apud Davisium legendum censebat *audientibus*, utique frustra censebat vir doctissimus. Conf. de *Fin.* ii. 9., "Qualis ista philosophia est, quae non *interitum* afferat *pravitatis*, sed —?" ubi male Davisius *pravitati*. Item de *Off.* ii. 22., "Tantum in aerarium pecuniae invexit, ut unius imperatoris *praeda finem* attulerit *tributorum*." Sed plane ut Cicero h. l., *Sallust. de B. J.* 79., "Graeci optionem *Carthaginensium* faciunt." ubi Harl. duo *Carthaginensisibus*. Adde *Wopkens.* ad *Justin.* iii. 3.

EXPLICIT LIB. II.

HENRICVS ALANVS RECENSVI.

M. TULLII CICERONIS  
LIBER  
DE FATO.



M. TULLII CICERONIS

LIBER

DE FATO.\*

---

---

I. **QUIA** pertinet<sup>1</sup> ad mores, quod<sup>2</sup> ἡδος illi vocant, (nos<sup>3</sup> eam partem philosophiae de moribus appellare solemus: sed

\* **DE FATO.**] Huic libro principium deesse, jamdiu consentiunt editores: id quod mihi nondum constat. De qua re sic Victorius:—“Cognovimus ex antiquis exemplaribus hunc librum, quemadmodum multis sui partibus vetustate lacer et multilis est, ita etiam principio carere; quod ex perulgatis quoque libris, si diligenter prima ejus verba considerata essent, animadverti potuit; quamvis nonnulli, ut hoc vitium tegerent, pro illi, Graeci scripsissent; quae vox manifesto docet, de Graecis supra etiam mentionem esse factam.” Haec ille: at si recte ordinem constructionis intellexeris, tum demum videbis pronomini illi antecedens nomen re vera adesse. Nam profecto orationis structura haec est:—*Explicanda vis est ratioque enuntiationum quae GRAECI ἀξιώματα vocant, quia (sc. explicari eam) pertinet ad mores, quod ἡδος ILLI vocant: (nos eam partem philosophiae de moribus appellare solemus; sed decet augementum Linguam Latinam nominare moralem:) quae (sc. ἀξιώματα) de refu-*

tura quum aliquid dicunt, . . . quam vim habeant, obscura questio est. Conf. similem inversionem apud *Sal-lust. B. J.* 65., “Contumeliosum in eos foret, si equites Romani satellites Numidae traderentur.” Sed quum semel participio *explicanda* accessisset, quae in vulgatis legitur, copula enclitica *que*, tum non amplius quisquam poterat structurae rationem perspicere. At abest ista copula a codice Harleiano, item credo ab aliis multis, si modo editores animum advertere voluissent; abest ab editis Ascensi, Juntae, Cratandri, Her-wagii, Vallae, Rami, Manutii. Quapropter ego adnotationem deleo, qua vulgo monent *Deesse principium*. Sed, quoniam etiam id ambigitur, unum an duos libros de Fato scripserit Cicero, rem conficit *Gellius* vi. 2. extr., et satis aperte significat unum modo hujus argumenti librum Ciceronianum fuisse, sic scribens:—“Itaque M. Cicero *in libro, quem de fato conscripsit, etc.*” Eoque minus verisimile est, Ciceronem duos libros de Fato edidisse, quod disputanti ipsi

debet augentem linguam Latinam, nominare moralem<sup>4)</sup> explicanda<sup>5</sup> vis est ratioque enuntiationum, quae Graeci ἀξιώματα<sup>6</sup> vocant: quae de re futura quum aliquid dicunt, deque eo quod possit fieri aut non possit; quam vim habeant, obscura quaestio est, quam περὶ δυνατῶν<sup>7</sup> philosophi adpellant: totaque est λογική<sup>8</sup>; quam rationem disserendi voco. Quod autem in aliis<sup>9</sup> libris feci qui sunt de Natura Deorum, itemque in iis quos de Divinatione edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id a quoque probaretur, quod cuique<sup>10</sup> maxime probabile videretur; id in hac disputatione de fato casus quidam ne facerem impedivit. Nam, quum essem in Puteolano, Hirtiusque noster, consul designatus, isdem in locis, vir nobis amicissimus, et iis studiis, in quibus nos a pueritia viximus, deditus, multum una eramus; maxime nos quidem exquientes ea consilia, quae ad pacem et ad concordiam civium pertinerent. Quum enim omnes post interitum<sup>11</sup> Caesaris novarum perturbationum causae quaeri viderentur, hisque esse occurrentum putaremus; omnis fere nostra in iis deliberationibus consumebatur oratio: idque et saepe alias<sup>12</sup>, et quodam libe-

aderat nemo qui responderet. Sed etiam ipse Cicero diserte docet, quod in libris *de Natura Deorum* et *de Divinatione* fecerit, “ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio,” id in hac disputatione de fato casum quemdam, ne faceret, impedivisse.

1. *Quia pertinet ad mores.*] Sc. explicari vim rationemque earum enuntiationum de quibus infra. Nempe ordine constructionis antecedunt illa *Explicanda vis est etc.*

2. *Quod ἡθος illi vocant.*] Cod. Harl. *quos — illi vocant*, Graeca voce omissa. Dedit Davisius quidem *quos ἡθος*, monens ἡθος non minus quam ἡθη mores denotare. Sed vulgariter tuentes codd. septem apud Moserum. Sic mox, “enuntiationum, quae Graeci ἀξιώματα vocant.” et *Tusc.* iv. 10., “morbi, quae vocant illi νοσήματα.” adde infra c. 10. Pronomen autem *illi* antecedente nomine non caret; nam constructionis ratione haec posteriora sunt illis: *Explicanda . . . , quae GRAECI ἀξιώματα vocant.* Lege quae supra praefati sumus.

3. *Nos eam partem etc.*] Haec parenthetice accipienda censeo.

4. *Moralem.] Codd. nonnulli morabilem.*

5. *Explicanda vis est—.] Sic Cod. Harl., sine copula. De re supra dixi.*

6. *'Αξιώματα.] Lege Gell. xvi. 8.*

7. *Περὶ δυνατῶν.] Contulit Ursinus Aristot. περὶ ἡμέραις c. 14.*

8. *Totaque est λογική.] Scripsit Ernestius e sententia Davissii *logicae*, ob sequens relativum, frustra: cf. lectionem nostram *N. D. i.* 32, “non vestro more sed *dialecticorum*, quam funditus gens vestra non novit.”*

9. *Quod autem in aliis libris feci.]* In aliis, nempe in iis qui—. Frustra Orell. de Ern. susp. *in illis libris.*

10. *A quoque—, quod cuique.] Cf. de *Div.* ii. 17., “talia cuique esse exta, qualis cuique obtigerit hostia.” Sic saepe Cicero.*

11. *Post interitum Caesaris.]* Cod. Eliens. apud Dav. *interitionem*; qua forma vocabuli etiam usus est Noster in *Verr.* iii. 54.

12. *Et saepe alias, et quodam libriore . . . die.]* Cf. Acad. iv. 3., “Quibus de rebus *et alias* saepe multa quaesita et disputata sunt, *et quodam* in Hortensii villa *etc.*” et *Tusc.* v. 4., “Fecimus *et alias* saepe et *nuper* in Tusculano, ut—.” adde *N. D.*

riore quam solebat et magis vacuo ab interventoribus<sup>13</sup> die, quum ille ad me venisset, primo illa<sup>14</sup>, quae erant quotidiana et quasi legitima nobis, de pace et de otio.

II. Quibus actis<sup>15</sup>, Quid ergo? inquit ille, quoniam oratorias exercitationes non tu quidem, ut spero, reliquisti, sed certe philosophiam illis anteposuisti, possumne aliquid audire<sup>16</sup>? Tu vero, inquam, vel audire, vel dicere: nec enim (id<sup>17</sup> quod recte existumas) oratoria illa studia deserui, quibus etiam te incendi, quamquam flagrantissimum<sup>18</sup> acceperam; nec ea, quae nunc tracto, minuunt, sed augent<sup>19</sup> potius illam facultatem: nam cum hoc genere philosophiae, quod nos sequimur, magnam habet orator societatem: subtilitatem enim ab Academia mutuantur, et ei vicissim reddit ubertatem orationis et ornamenta dicendi. Quamobrem, inquam, quoniam utriusque<sup>20</sup> studii nostra possessio est; hodie, utro frui malis, optio sit tua. Tum Hirtius, Gratissimum, inquit, et tuorum omnium simile<sup>21</sup>: nihil enim umquam abnuit meo studio voluntas tua. Sed quoniam rhetorica mihi vestra sunt<sup>22</sup> nota, teque in<sup>23</sup> iis et audivimus saepe, et audiemus, atque hanc Academicorum contra propositum<sup>24</sup> disputandi consuetudinem indicant te suscep-

i. 6. Cum illis autem, et saepe alias, intellige fecimus, vel a nobis factum est.

13. *Magis vacuo ab interventoriibus.*] Codd. nonnulli, *interventionibus*. Cf. *ad Fam.* vi. 18. apud Moserum, "in quibus (literis) sine ullo interpellatore vursor." ita nempe Cortius et edd. vet. multae, recte; sed alii *sine ulla interpellatione*.

14. *Primo illa... de pace et de otio.*] Nempe dicta sunt, quod nonnulli etiam addunt, contra codices.

15. *Quibus actis.*] De quibus quum satis inter nos egissemus. Male codd. plures, etiam Harl., *acceptis*.

16. *Possimne aliquid audire?*] Cf. *de Rep.* i. 13., "Sed possumus audire aliquid, an serius venimus?"

17. *Id quod recte existumas.*] Pronomen *id* e codd. recte addidit Davi- sius.

18. *Quamquam flagrantissimum acceperam.*] Distinguit Dav. post *flagrantiss.*; qui supra *incendi* pro infinitivo habuit, perperam.

19. *Sed augent potius—.*] Vide *N. D.* i. 3., ii. 67.

20. *Quoniam utriusque studii—.*] Quoniam utriusque et philosophiae et rhetoricae possessio est nostra, qui sumus oratores.

21. *Gratissimum, et tuorum omnium simile.*] Contulit Achill. *Statius* apud Moserum *ad Att.* xiv. 18., "De Patulciano nomine, quod mihi suppetatus es, *gratissimum est et tuorum omnium simile.*"

22. *Quoniam rh. mihi vestra sunt nota.*] Codd. fere nostra, perperam: in eo autem codices sequor quod scribo (cum Mosero) *sunt nota pro vulg. sat nota*, quod Hirtium dicere ne urbanitatis quidem esse potuit; adde quod infra dicit se etiam posthac subinde de rhetorica disserentem Ciceronem auditurum esse.

23. *Teque in iis—audivimus.*] Puta versantem.

24. *Contra propositum.*] Balliol. Davisii *positam*, sc. rem, eleganter satis: sic mox, "ponere aliquid... volo." Quod vero ipse Dav. omnino legere jubet *positum*, hoc ita substantive dici apud Cic. merito non probat Bremius.

pissem Tusculanae disputationes; ponere aliquid, ad<sup>25</sup> quod audiam, si tibi non est molestum, volo. An mihi, inquam, potest quidquam esse molestum, quod tibi gratum futurum sit? Sed ita audies, ut Romanum<sup>26</sup> hominem, ut timide ingredientem ad hoc genus disputandi, ut longo intervallo haec studia repetentem. Ita, inquit, audiam te disputantem, ut ea lego quae scripsisti: proinde ordire<sup>27</sup>.

III. Consideramus<sup>28</sup> hic, \* \* \*

*Multa hic desunt.*

\* \* \* quorum in aliis, ut in Antipatro<sup>29</sup> poëta, ut in bru-

25. *Ad quod audiam.]* Cf. *Tusc.* i. 4., "Ponere jubebam, de quo quis audire vellet; ad id... disputabam." adde *de Fin.* i. 8., ii. 1., apud Dav. Cod. Harl. *molestum non est.*

26. *Ut Romanum hominem.]* Cf. *de Rep.* i. 22. apud Moser., "Peto a vobis ut me sic audiatis, ... ut unum e togatis." Cod. Harl. *ad hoc disp. genus.*

27. *Proinde ordire.]* Transposui hinc librariorum admonitionem, *Multa hic deesse*: nam inter hoc quidem et illud *Consideramus hic*, nihil plane judico deesse.

28. *Consideramus hic, \* \* \*]* I. e. *consederamus*, quae usitator forma est: cf. *Brut.* 6., "Tum in pratulo propter Platonis statuam *consedimus.*" et *Acad.* ii. 3., "Tum eodem in spatio *consedimus.*" adde *de Orat.* iii. 5., *de Rep.* i. 12. Palat. 2. et Leidens. 1. *Considamus*, nempe notula syllabae *er*, ut fit, omissa; etsi ipsum istud etiam scribi voluit Bremius, conferens *de Leg.* ii. 3., "Sed, si videtur, *considamus* hic in umbra." Verius *Consideramus* sive *Consederamus*, si quidem nihil dum lectionis ante hoc verbum intercidit. Quod vero edd. vet. quaedam habent *Consideramus*, *Hirti*, nescio an hoc in scripto aliquo exstet; nec, si exstaret, probarem; nisi forte ut sic lectio explenda esset, *Consideramus Hirtius et ego—*. Cod. Harl. *Proinde orde(sic) oraine consideremus*, omissio *hic*. Est autem *hic* h. l., quum haec dicta sunt. Lacunam notavit librarius in cod. Vict. B. apud Moserum sic: "Deest

hoc loco manifeste: namque in veterissimo codice spatium vacuum relictum est *xxxxiii.* versuum inter *hic* et *quorum.*" In quam et alii codices nonnulli et Harl. noster hos tres *Juvenalis* versus (xiii. 86.) recepit: "Sunt qui in fortunae jam casibus omnia ponant, Et mundum credant nullo rectore moveri, Natura volvente vices et lucis et anni." Ceterum possis putare sic aliquo modo sermonem pergere: *Consederamus hic: et ego, Ordiri me jubes, inquam: ego vero jam exspecto, tu quid ponere velis.* Vere dicis, inquit ille; et sane significabam me velle istud quidem. Nunc vero, etsi gratum est quod mihi eligendi copiam facis, tamen satius judico, si quid forte jam ipse ultro cogitas, parate potius quam ex tempore dicentem te audire. Quare, si quid habes, jam incipe. Tum ego, Equidem, inquam, quum intelligerem, ex quo libros de *Divinatione* edidisse, quiddam a me exspectari quod illi disputationi deesseset, jam diu in animo habui aliquid etiam de *Fato* conscribere. Itaque, nisi quid est de quo potius velis audire, dicam tibi, de fato quid mihi videatur. Ille vero, *Nihil equidem, inquit, audiverim lumbentius.* Tum ego ita sum exorsus.—Nihil attinet, credo, ultra hariolari.

29. *Ut in Antipatro poëta.]* Cf. *Plin.* vii. 51. apud Turnebum, "Antipater, Sidonius poëta, omnibus annis uno die tantum natali corripiebatur febre, et eo consumptus est satis longa senecta."

mali<sup>30</sup> die natis, ut in simul<sup>31</sup> aegrotantibus fratribus, ut in urina<sup>32</sup>, ut in unguibus, ut in reliquis ejusmodi, naturae contagio valet, quam ego non tollo; vis est nulla fatalis. In aliis aufem fortuita quaedam esse possunt, ut in illo naufrago, ut in Icadio, ut in Daphita<sup>33</sup>. Quaedam etiam Posidonius (pace magistri dixerim) comminisci videtur. Sunt quidem<sup>34</sup>, inquam, absurdia. Quid enim? si Daphitae fatum fuit ex equo cadere, atque ita perire; ex hocne equo, qui, quum equus non esset, nomen habebat alienum? aut Philippus hasce in capulo quadrigulas<sup>35</sup> vitare monebatur? Quasi vero capulo sit occisus. Quid autem magnum, et<sup>36</sup> naufragum illum sine nomine in rivo esse lapsum? quamquam huic quidem hie scribit praedictum in aqua esse pereundum. Ne hercule Icadii quidem praedonis video fatum ullum: nihil enim scribit ei praedictum. Quid mirum igitur, ex spelunca saxum in crura ejus incidisse? puto<sup>37</sup> enim, etiamsi Icadius tum in spelunca non fuisse, saxum tamen illud easurum fuisse. Nam aut nihil est omnino fortuitum, aut hoc ipsum potuit evenire fortuna. Quaero igitur, (atque hoc late patebit) si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset; et forte, temere, casu, aut pleraque fierent aut omnia? num aliter, ac nunc eveniunt,

30. *Ut in brumali die natis.]* Vide, monente Davisio, exemplum apud *Valer. Max. i. 8. 17. extr.*

31. *Ut in simul aegrotantibus fratr.]* Huc pertinent, monet Ursinus, illa *Augustini de C. D. v. 2.*, "Cicero dicit Hippocratem nobilissimum medicum scriptum reliquisse, quosdam fratres, quum simul aegrotare coepissent, et eorum morbus eodem tempore ingravesceret, eodem levaretur, geminos suspicatum: quos Posidonius Stoicus, multum Astrologiae deditus, eadem constitutione astrorum natos, eademque conceptos solebat asserere."

32. *Ut in urina.]* Cf. *Plin. H. N. xxvi. 6.* apud Bremium.

33. *Ut in Daphita.]* Vide *Suidam s. v. Δαφίδας*, adnotante Victorio. Addit Moserus *Is. Voss. ad Pomp. Mel. i. 17.*, interpretes ad *Valer. Max. i. 8. extr.*

34. *Sunt quidem, inquam, absurdia.]* Ita malui cum Mosero vocem quidem transponere, quae in vulgatis ante absurdia sedem habet, quam aut cum Turnebo eam in *quaedam* nutare,

aut, quod praestare censem Davisius, delere. Cf. *N. D. iii. 10.*

35. *Quadrigulas.]* De re *Valer. Max. i. 8. 9.*, "Apollinis oraculo Philippus rex Macedonum monitus fuit, ut a quadrigae violentia salutem suam custodiret. Itaque toto regno currus disjungi jusserrat, eumque locum qui in Boeotia quadriga dicitur, semper vitavit: nec tamen denuntiatum periculum evitare potuit. Nam Pausanias in capulo gladii, quo eum occidit, quadrigam habuit caelatam."

36. *Quid autem magnum, et naufragum illum—?]* Scripsit quidem Moserus ex sententia Wolfii *magnum est, naufragum—*. Sed recte monuit idem, ῥο et ita defendi posse, ut dicas, voluisse Ciceronem continuare structuram altero *et*, illi respondente; deinde vero mutata constructione quasi ἀνακολούθως perrexisse postquam interjecta essent verba *quamquam — pereundum*. Vide ad *de Div. i. 20.*

37. *Puto enim.]* Cod. Harl. *puta*: idem delet *enim*. Ad rem cf. *de Div. i. 8.*

evenirent? Quid ergo adtinet inculcare<sup>38</sup> fatum, quum sine fato ratio omnium rerum ad naturam fortunamve referatur?

IV. Sed Posidonium, sicut aequum<sup>39</sup> est, cum bona gratia dimittamus: ad Chrysippi laqueos<sup>40</sup> revertamur. Cui primum quidem de ipsa contagione rerum respondeamus: reliqua postea persequemur. Inter locorum naturas quantum intersit, videmus: alios esse salubris, alios pestilentis: in aliis esse puitosos et quasi redundantis, in aliis exsiccatos atque aridos: multaque sunt alia, quae inter locum et locum<sup>41</sup> plurimum differant. Athenis tenuerunt coelum, ex quo acutiores etiam<sup>42</sup> putantur Attici: crassum Thebis, itaque pingues Thebani et valentes. Tamen neque illud tenuerunt coelum efficiet, ut aut Zenonem quis, aut Arcesilam, aut Theophrastum audiat<sup>43</sup>; neque crassum, ut Nemea potius quam Isthmo victoriam petat. Dijungo<sup>44</sup> longius: quid enim loci natura adferre potest, ut in porticu<sup>45</sup> Pompeii potius, quam in campo ambulemus? tecum, quam cum alio? Idibus potius, quam Kalendis? Ut igitur ad quasdam res natura loci pertinet aliquid<sup>46</sup>, ad quasdam autem nihil: sic astrorum affectio valeat, si vis, ad quasdam res; ad omnis certe non valebit. At enim, quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt, ut alios dulcia, alios subamara delectent; alii lubidinosi, alii iracundi, aut crudeles, aut superbi sint; alii talibus vitiis abhorreant<sup>47</sup>: quoniam igitur, inquit, tantum natura a natura distat, quid mirum est, has dissimilitudines ex differentibus causis esse factas?

V. Haec disserens, qua de re agatur, et in quo causa con-

38. *Inculcare fatum.*] Cf. *N. D.* i. 39., "Vos autem... imagines... inculcutis."

39. *Sicut aequum est.*] Supra: "pace magistri dixerim."

40. *Ad Chrysippi laqueos.*] Cf. *Tusc.* v. 27., "ut jam a laqueis Stoicorum recedamus." Definitionem autem Chrysippi legas apud *Gell.* vi. 2.

41. *Inter locum et locum.*] Cf. infra h. c. extr., "Tantum natura a natura distat." et c. 10., "Non enim atomus ab atomo pulsa declinat; nam qui potest pelli alia ab alia, si...?" item *de Div.* i. 55., "Quum causa causae nexa rem ex se gignat." Ad rem autem cf. *N. D.* ii. 6. et 16., *de Div.* i. 36. Mox scribo differant pro vulg. differunt e codd. apud Moserum satis multis scriptis editisque.

42. *Ex quo acutiores etiam putan-*

*tur Attici.*] Cod. Harl. *omnes acutiores putentur Attici*, omissa etiam.

43. *Ut... audiat.*] I. e. audire velit. Sic etiam infra *ambulemus*.

44. *Dijungo longius.*] I. e. Quamquam nimis longe dijungo loca, quum Nemeam et Isthmum dico. Ita recte cod. Balliol. apud Davision, quem mireris lectionem tamen non receperisse. Vulg. *Dijunge*.

45. *In porticu Pompeii.*] Eam *Magni ambulationem* vocat Catullus, id quod monet Achill. Statius.

46. *Pertinet aliquid.*] Libri nonnulli pertinet et operatur aliquid. Lambinus vero satis non habuit verbum Ciceroni ignotum tollere, sed frustra etiam *aliquid* delevit.

47. *Talibus vitiis abhorreant.*] Lamb. *a talibus*; et solet Cic. constanter praepositionem adhibere.

sistat, non videt. Non enim, si alii ad alia propensiōes sunt<sup>48</sup> propter causas naturalis et antecedentis, idcirco etiam nostrarum voluntatum atque adpetitionum sunt causaē naturales et antecedentes: nam nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet. Nunc vero fatemur, acuti hebetesne, valentes imbecilline simus, non esse id in nobis. Qui autem ex eo cogi<sup>49</sup> putat, ne ut sedeamus quidem aut ambulemus, voluntatis esse; is non videt, quae quamque rem<sup>50</sup> res consequatur. Ut<sup>51</sup> enim et ingeniosi et tardi ita nascantur antecedentibus causis, itemque valentes et imbecilli; non sequitur tamen, ut etiam sedere eos, et ambulare, et rem agere aliquam, principalibus causis definitum sit et constitutum. Stilponem, Megaricum<sup>52</sup> philosophum, acutum sane hominem et probatum temporibus illis accepimus. Hunc scribunt ipsius familiares et ebriosum et mulierosum fuisse: neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem: vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam et compresam esse doctrina, ut nemo umquam violentum illum, nemo in eo lubidinis vestigium viderit. Quid? Socratem, nonne legimus, quemadmodum notarit Zopyrus<sup>53</sup> physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, voltu, fronte pernoscere? Stupidum esse Socratem dixit et bardum: quod jugula concava non haberet, obstructas eas partis<sup>54</sup> et obturatas esse dicebat: addidit etiam, mulierosum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. Sed haec ex naturalibus causis vitia nasci possunt: extirpari autem et funditus tolli, ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non est id positum in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplina: quae tolluntur omnia, si vis et natura fati ex divinationis ratione firmabitur.

VI. Et enim si est divinatio, qualibusnam a perceptis artis<sup>55</sup> proficiscitur? Percepta adpello, quae dicuntur Graece Σεω-

48. *Non enim si . . . sunt—.]* Recte sunt, non sint, codd. plures, etiam Harl.: nam id, opinor, concedit.

49. *Ex eo cogi.]* Cf. N. D. ii. 13.

50. *Quae quamque rem res.]* Sic recte Dav. e codd., quum vulgo prae-terminerent rem: sic etiam veteres editi multi.

51. *Ut enim . . . nascantur.]* De particula *ut* vide ad *de Div.* i. 30.—*Infra definitum sit et const.*: ita verbum substantivum interponit cod. Harl.; adde quinque apud Moserum.

52. *Megaricum.]* Sic cod. Harl. et alii plures; vulg. *Megareum*: de qua re recte Moserus:—“Fuit quidem

*Megareus Stilpo*, id est, *Megara oriundus*; sed fuit ex schola *Megarica philosophus*, ergo *Megaricus philosophus*.<sup>56</sup>

53. *Socratem . . . Zopyrus.]* Vide, monente Ursino, *Alexandrum Aphrodisiens.* περὶ εἰμαρμένης p. 164. (p. 18, ed. Orell.)

54. *Obstructas eas partis et obturatas.]* Cod. Harl. *obstructa et obturata*; sic, arbitror, etiam apud Moserum quinque, in quibus monet *eas partes omitti*. Idem Harl. *addit etiam et.*

55. *A perceptis artis.]* I. e. quae artem habeant.

*ρίματα.* Non enim credo nullo percepto aut ceteros artifices versari in suo munere, aut eos, qui divinatione utantur, futura praedicere. Sunt igitur astrologorum percepta hujusmodi : Si quis, verbi causa, oriente Canicula natus est, is in mari non morietur. Vigila, Chrysippe, ne tuam causam, in qua tibi cum Diodoro valente dialectico magna luctatio est, deseras. Si enim est verum, quod ita connectitur, Si quis oriente Canicula natus est, in mari non morietur ; illud quoque verum est, Si Fabius oriente Canicula natus est, Fabius in mari non morietur. Pugnant igitur haec inter se, Fabium oriente Canicula natum esse, et Fabium in mari moritum : et quoniam certum in Fabio ponitur, natum esse eum Canicula oriente ; haec quoque pugnant, et esse Fabium, et in mari esse moritum. Ergo haec quoque conjunctio est ex repugnantibus, Et est Fabius, et in mari Fabius morietur : quod, ut propositum<sup>56</sup> est, ne fieri quidem potest. Ergo illud, Morietur in mari Fabius, ex eo genere est quod fieri non potest. Omne igitur, quod falsum dicitur in futuro, id fieri non potest.

VII. At hoc, Chrysippe, minime vis : maximeque tibi de hoc ipso cum Diodoro<sup>57</sup> certamen est : ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit verum, aut futurum sit verum ; et, quidquid futurum sit, id dicit<sup>58</sup> fieri necesse esse, et, quidquid non sit futurum, id negat fieri posse. Tu, et quae non sunt<sup>59</sup> futura, posse fieri dicis, ut frangi hanc<sup>60</sup> gemmam, etiamsi id numquam futurum sit ; neque necesse fuisse Cypselum regnare Corinthi, quamquam<sup>61</sup> id millesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset. At si ista comprobabis divina praedicta, et quae falsa in futuris dicuntur<sup>62</sup>, in iis<sup>63</sup> habebis, ut ea fieri non possint : ut<sup>64</sup>, si dicatur, Africanum Karthagine potitum, et,

56. *Ut propositum est.]* Vult Dav. *positum*, frustra.

57. *Cum Diodoro certamen.]* Conf. Hieronym. *adv. Pelag.* p. 557. E, apud Dav.

58. *Id dicit fieri—.]* Frustra Dav. delendum censem verbum *dicit* : nam quod omittit illud Hieronymus, omittit idem etiam *negat*, nempe ante posse addito *non*.

59. *Quae non sunt futura.]* Recte Dav. e codd. *sunt pro sint*.

60. *Ut frangi hanc gemmam.]* Nempe quam digito gerebat Cicero : et hoc *εὐεργέτης*.

61. *Quamquam id millesimo—.]* I. e. ne si millesimo quidem id—.

62. *Quae falsa in futuris dicuntur.]* Dedit Dav. *dicuntur pro dicen-*

*tur* ex Harl. et Ascens. : accedunt alii libri apud Moserum.

63. *In iis habebis, ut—.]* I. e. habebis in iis, quae sint ejusmodi, ut—. Dedit autem *habebis* Lambinus, recte, pro vulg. *habemus*.

64. *At si . . . , et . . . : ut, si dicatur,—.]* Perplexus locus : Lambino quidem etiam *mutilus* visus est ; qui, ut etiam *falsorum in futuris* exemplum adesset, sic locum studuit explere : *ut si dicatur Fabium in mari peritum* ; et contra, *quod vere dicatur de futuro, quodque ita futurum sit, ut Africanum Karthagine potitum, dices esse necessarium*. Item Davissius in ed. pr., se non intelligere profitetur, quomodo Cicero exemplum illud Africani inter *falsa in futuris*

si vere dicatur de futuro, idque ita futurum sit, dicas esse necessarium: quae est tota Diodori vobis inimica sententia. Et enim si illud vere connectitur, Si oriente Canicula natus es, in mari non morieris: primumque, quod est<sup>65</sup> in connexo, Natus es oriente Canicula, necessarium est: (omnia enim vera in praeteritis, necessaria sunt, ut Chrysippo placet dissentienti a magistro Cleanthe, quia sunt immutabilia, nec in falsum e vero praeterita possunt convertere<sup>66</sup>) si igitur quod primum in connexo est, necessarium est; fit etiam quod consequitur necessarium. Quamquam hoc Chrysippo non videtur valere in omnibus. Sed tamen, si naturalis est causa, cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest.

VIII. Hoc loco Chrysippus aestuans<sup>67</sup> falli sperat<sup>68</sup> Chaldaeos ceterosque divinos, neque eos usuros esse conjunctionibus, ut ita sua percepta pronuntient, Si quis natus est oriente Canicula, is in mari non morietur: sed potius ita dicant<sup>69</sup>, Non et natus est quis oriente Canicula, et is<sup>70</sup> in mari morietur. O licentiam jocularem! ne ipse incidat in Diodorum<sup>71</sup>, docet

numerarit. Contra quem vulgatam ita defendit Wopkensius, ut particulam et pro etiam vel quoque accipiat, ut pro quemadmodum. Bremio sanus locus videtur, si, una litera mutata, pro ut legas et. Hottingerus proponendum ad Lambini conjecturam accedit. Denique ipse conjeci: At, si ista comprobabis divina praedicta, et, quae falsa in futuris dicuntur, in iis habebis, ut ea fieri non possint; ut si dicatur, Africanum Karthagine NON ESSE potitum; et, si vere dicatur de futuro, idque ita futurum sit, dicas esse necessarium. Nam voculas non esse, si fuissent per compendia scriptae, poterat extrema syllaba nominis Karthagine intercipere.

65. *Primumque, quod est in connexo.*] Addidi est cum Mosero: ceterum nescio an mallem sic: *primumque in connexo, quod est N. e. o. C., necessarium est.* Supra autem pro morieris scripsit Orell. moriere; et hanc quidem formam, ubi eam praebat aliquis codicum numerus, etiam semper Ciceroni restituendam censem.

66. *Convertere.*] Sic ex Eliensi Davisius, pro converti: accedunt om-

nes Moseri. Sic iterum infra c. 9.—Continuo Harl. si igitur primum in eo connexo necessarium est.

67. *Aestuans.*] Cf. fragm. huj. lib. apud Gell. vi. 2., “Chrysippus aestuans laboransque quoniam pacto explicet—.”

68. *Falli sperat.*] I. e. falli posse, falsum iri: cf. ad Att. iv. 16. apud Turnebum, “Cato tamen affirmat, se vivo illum non triumphare.” i. e. triumphaturum. Sic apud Sallust. B. J. 87., “Ita Jugurthae placuerat, speranti mox effusos hostis invadi posse.” vult Cortius abesse τὸ posse.

69. *Sed potius ita dicant.*] Sed potius conjunctionis negantia usuros esse, ut ita dicant. Cf. Topic. 14., “Deinde addunt conjunctionum negantia sic: Non et hoc est, et illud.”

70. *Non . . . , et is—.*] Sic etiam infra, “Non ei venae sic moventur, et is febrem non habet.”

71. *Ne ipse incidat in Diodorum.*] I. e. in Diodoris ententiam. Supra c. 7., “Quae est tota Diodori vobis inimica sententia”—Mox eos percepta exponere: sic Harl. et quinque apud Moserum; vulg. eos exp. perc.

Chaldaeos, quo pacto eos percepta exponere oporteat. Quaero enim, si Chaldaeoi ita loquantur, ut negationes infinitarum conjunctionum potius, quam infinita connexa ponant; cur idem medici, cur geometrae, cur reliqui facere non possint? Medicus in primis, quod erit ei perspectum in arte, non ita proponet. Si cui venae sic moveantur, is habet febrem: sed potius illo modo, Non ei<sup>73</sup> venae sic moveantur, et is febrem non habet: itemque geometres non ita dicet, In sphaera maxumi orbes, medii inter se dividuntur: sed potius illo modo, Non et sunt in sphaera maxumi orbes, et ii non medii inter se dividuntur. Quid est, quod non possit isto modo ex connexo transferri ad conjunctionum negationem? Et quidem aliis modis easdem res efferre<sup>74</sup> possumus. Modo dixi, In sphaera maxumi orbes, medii inter se dividuntur: possum dicere, Si in sphaera maxumi orbes erunt; possum dicere, Quia in sphaera maxumi orbes erunt. Multa genera sunt enuntiandi, nec ullum distor-  
tius, quam hoc, quo Chrysippus sperat Chaldaeos contentos Stoicorum causa fore.

IX. Illorum tamen nemo ita loquitur: majus est enim has contortiones orationis, quam signorum ortus obitusque perdis-  
cere. Sed ad illam Diodori contentionem, quam περὶ δυνατῶν adpellant, revertamur; in qua quid valeat id, quod fieri possit, anquiritur<sup>75</sup>. Placet igitur Diodoro, id solum fieri posse, quod aut verum sit, aut verum futurum sit. Qui locus adtingit hanc quaestionem, Nihil fieri, quod non necesse fuerit: et, Quidquid fieri possit, id aut esse jam aut futurum esse, nec magis com-  
mutari ex veris in falsa ea posse quae futura sunt, quam ea quae facta sunt: sed in factis immutabilitatem adparere; in fu-  
turiis quibusdam, quia non adpareat<sup>76</sup>, ne inesse quidem videri: ut in eo, qui mortifero morbo urgeatur, verum sit, Hic morietur hoc morbo: at hoc idem si vere dicatur in eo, in quo vis morbi tanta non adpareat, nihilo minus futurum sit. Ita fit, ut com-  
mutatio ex vero in falsum ne in futuro quidem ulla fieri possit. Nam, Morietur Scipio, talem vim habet, ut, quamquam de fu-

72. *Docet Chaldaeos, quo pacto—.*] Cf. *Tusc.* v. 6., “Iniquum est praescribere mihi te, quemadmodum a me disputari velis.”

73. *Non ei venae sic moveantur.]* Codices nonnulli non enim venae: fortasse scribendum *Nemini venae*. Continuo *et is febrem*: sic plures libri, etiam Harl.; vulg. *et febrem is*.

74. *Efferre.]* Cf. *Cic. Orat.* 22., “Etsi sine re nulla vis verbi est, ta-

men eadem res saepe aut probatur aut rejicitur, alio atque alio *elata* verbo.”—Infra pro *Quia* vult Bre-  
mius *Qui*.

75. *Anquiritur.]* Scripsit Moserus *inquiritur*, ex sententia Beieri ad *de Off.* i. 30.

76. *Quia non adpareat.]* Vulg. *ap-  
parent*: illud conjectit Wopkens., etiam quum vulgatam defenderet; et jam recepit Moserus.

turo dicatur<sup>77</sup>, tamen ut<sup>78</sup> id non possit convertere<sup>79</sup> in falsum : de homine enim dicitur, cui necesse est mori. Sic si diceretur, Morietur noctu in cubiculo suo vi oppressus Scipio, vere dice-  
retur ; id enim fore diceretur, quod esset futurum : futurum autem fuisse, ex eo, quia factum est, intellegi debet : nec magis erat verum, Morietur Scipio, - quam, Morietur illo modo : nec minus<sup>80</sup> necesse, quam mori, Scipioni illo modo mori : nec magis immutabile ex vero in falsum, Necatus est Scipio, quam, Necabitur Scipio : nec, quum haec ita sint, est causa, cur Epicurus fatum extimescat, et ab atomis petat praesidium, easque de via deducat, et uno tempore suscipiat<sup>81</sup> res duas inenodabili-  
lis : unam, ut sine causa fiat aliquid ; ex quo exsistet, ut de ni-  
hilo<sup>82</sup> quidpiam fiat, quod nec ipsi nec cuiquam physico placet : alteram, ut, quum duo individua<sup>83</sup> per inanitatem ferantur, alterum e regione moveatur, alterum declinet. Licet enim Epicuro, concedenti omne enuntiatum aut verum aut falsum esse, non vereri, ne omnia fato fieri sit necesse : non enim ex<sup>84</sup> ae-  
ternis causis a naturae necessitate manantibus verum est id, quod ita enuntiatur : Descendit in Academiam Carneades ; nec tamen sine causis : sed interest inter causas fortuito antegressas, et inter causas cohibentis<sup>85</sup> in se efficientiam natura-

*77. Quamquam de futuro dicatur.] Alii dicetur vel dicitur : sed recte Dav. e codd. dicatur. Quippe hoc non minus arcte cum illo ut — non possit cohaeret, quam si sic scripsisset Cicero : ut idem hoc et de futuro dicatur, et non possit convertere in falsum.*

*78. Ut . . . , tamen ut—.] Particulam iteratam abesse volebat Davisius. Eam vero recte judicat Moserus, non tam negligenter (neque enim ita multa interposita esse) quam ulti atque studiose ad vim enuntiationis augendam esse additam : q. d., ut, . . . , ut, inquam—.*

*79. Converttere.] Sic iterum Dav., ut supra c. 7., ex Eliensi suo, pro converti : sed sic etiam plures Moseri. Cf. Cic. Brut. 38., “ Sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat.” Sic etiam infra h. c. extr. libri scripti omnes.*

*80. Nec minus necesse, quam mori, Scipioni, illo modo mori.] Absurde vulgati nec minus necesse mori Scipioni, quam illo modo mori. P. autem Rami conjectura nec magis eamdem formam saepius, quam potest placere,*

facit repetitam. Transponendum censem-  
sebat Turnebus, *Nec minus, quam necesse mori Scipioni, illo modo mori.* Davisius autem, *Nec minus necesse mori Scipionem illo modo, quam mori.* Quorum uterque plura transpone-  
bant quam necesse erat. Ceterum *Scipioni, non Scipionem, habent plures liori ; idque placet ; ut intercisa sit structura.*

*81. Suscipiat.] Cf. N. D. i. 34. et 35.*

*82. De nihilo quidpiam.] Lege c. 11. infra.*

*83. Individua.] Sic etiam infra c. 11., item de N. D. i. 19. et 24.*

*84. Ex aeternis causis.] Codd. duo Davisii externis causis : unde recte ille ex aeternis scribendum censem-  
bat ; et similia exempla erroris ex codicibus attulit Moserus. Continuo ad-  
didi etiam cum Mosero praepositio-  
nem a ex codd. tribus. Supra Harl.  
enuntiatum omne — ne fato omnia  
fieri.*

*85. Cohibentis.] Cf. N. D. ii. 13., “ Omnis naturas ipsa cohibet et con-  
tinet.” adde Lucret. ii. 1029. Ergo*

lem. Ita et semper verum fuit, Morietur Epicurus, quum duo et septuaginta annos vixerit, Archonte Pytharato; neque tamen<sup>86</sup> erant causae fatales, cur ita accideret: sed, quod ita cecidit<sup>87</sup>, certe casurum, sicut cecidit, fuit. Nec ii, qui dicunt immutabilia esse quae futura sint, nec posse verum futurum convertere in falsum, fati necessitatem confirmant, sed verborum vim interpretantur. At, qui introducunt causarum seriem sempiternam, hi mentem hominis voluntate libera spoliata necesse fati devinciunt.

X. Sed haec hactenus. Alia videamus: concludit enim Chrysippus hoc modo, Si est motus sine causa; non omnis enuntiatio, quod<sup>88</sup> ἀξιωμα dialectici adpellant, aut vera, aut falsa erit: causas enim efficientis quod non habebit, id nec verum nec falsum erit: omnis autem enuntiatio, aut vera aut falsa est: motus ergo sine causa nullus est. Quod si ita est, omnia, quae fiunt, causis fiunt antegressis. Id si ita est, omnia fato fiunt<sup>89</sup>. Efficitur igitur, fato fieri quaecumque fiant. Hic primum mihi lubeat<sup>90</sup> adsentiri Epicuro, et negare omnem enuntiationem aut veram esse aut falsam; eam plagam<sup>91</sup> potius accipiam, quam fato omnia fieri comprobem. Illa enim sententia aliquid habet<sup>92</sup> disputationis; haec vero non est tolerabilis. Itaque contendit omnis nervos<sup>93</sup> Chrysippus, ut persuadeat, omne ἀξιωμα aut verum esse aut falsum. Ut enim Epicurus veretur, ne, si hoc concederet, concedendum sit, fato fieri quaecumque fiant: (si enim alterutrum<sup>94</sup> ex aeternitate verum sit, esse id etiam certum: et, si certum, etiam necessarium: ita et necessitatem et fatum confirmari putat) sic Chrysippus metuit, ne, si non obtinuerit, omne, quod enuntietur, aut verum esse aut falsum,

sic proprie et simpliciter, frustraque est conjectura Wopkensii continentes.

86. *Et . . . , neque tamen—.]* Formulam illustravi *de Usu Copular.* c. ii. § 206.

87. *Quod ita cecidit.]* Ita Moserus cum Bremio: vulg. *cecidisset*; Dav. *accidisset*. Fortasse scribendum, *quod cecidit, certe ita et casurum, sicut cecidit, fuit*.

88. *Enuntiatio, quod—.]* Cf. c. 1. supra. Sunt autem haec, *quod . . . adpellant*, Ciceronis potius quam Chrysippi. Et *dialecticos* dicit Stoicos: vide *Topic.* c. 2.

89. *Omnia fato fiunt.]* Cod. Balliol. *omnia, quae fiunt, fato fiunt: scilicet nimis studiosos librarius formam illorum q[uod] proxime antecedunt sequuntur*

tus est.

90. *Hic primum mihi lubeat adsentiri Epicuro.]* Vulgati *si mihi libeat*; nonnulli autem *mihi si libeat*; et recte Hottingerus particulam *si delendam docuit*.

91. *Eam plagam potius accipiam.]* Cf. *N. D.* i. 25., “Graviorem enim plagam accipiebat, ut leviores repelleret.”

92. *Aliquid habet disputationis.]* Cf. *de Fin.* v. 25. apud Moserum, “Sed haec omittamus: *habent enim et bene longam et satis litigiosam disputationem.*”

93. *Contendit omnis nervos.]* Similiter translate etiam *in Verr.* Act. i. c. 12., *ad Fam.* xv. 14., apud Moser.

94. *Si enim alterutrum.]* Nonnulli libri *alterum utrum*; et ita Orell.

non teneat<sup>95</sup>, omnia fato fieri, et ex causis aeternis rerum futurarum. Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati necessitatem putat. Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus et plagam<sup>96</sup>, quum<sup>97</sup> declinat atomus intervallo minumo: id appellat ἐλάχιστον. Quam declinationem sine causa fieri, si minus verbis, re cogitur confiteri: non enim atomus ab atomo pulsa declinat; nam quî potest pelli alia ab alia, si gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua<sup>98</sup> rectis lineis, ut Epicuro placet? Sequitur enim, ut, si alia ab alia numquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam: ex quo efficitur, ut jam<sup>99</sup> si sit atomus, eaque declinet, declinare<sup>1</sup> sine causa. Hanc Epicurus rationem induxit ob eam rem, quod veritus est, ne, si semper atomus gravitate ferretur naturali ac necessaria, nihil liberum<sup>2</sup> nobis esset, quum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur. Hinc<sup>3</sup> Democritus auctor atomorum accipere<sup>4</sup> maluit, necessitate omnia fieri, quam a corporibus individuis naturalis motus avellere.

XI. Acutius Carneades, qui docebat, posse Epicureos suam causam sine hac commentitia declinatione defendere: nam

95. *Non teneat, omnia fato fieri.]* Desunt editis ante Victorium voces *non teneat*. Post fieri autem addunt scripti multi possint; quod plane supervacaneum, nisi velis ex conjectura Wopkensii scribere *non teneat, ut omnia fato fieri possint*; cuius structurae exempla non desunt.

96. *Extra pondus et plagam.]* Vide c. 20. infra.

97. *Tertius quidam motus ..., quum declinat—.]* Volebat Lambinus *quo declinal*: contra quem attulit Wopkens. *Acad.* ii. 30., “Contraria autem ea dico, quum alterum ait, alterum negat.” *de Leg.* iii. 15., “Est autem animi quaedam sanitas ... quum ... perturbatio mentis auferatur.” et alia; adde *de Div.* i. 55. Ad rem autem cf. *de Fin.* i. 6.

98. *Corpora individua.]* Interpretatione utitur, ne eadem vox usque ad fastidium recurrat: cf. h. c. finem. Et frustra sunt haec Manutio suspecta.

99. *Ut, jam si sit atomus.]* Cf. *de Div.* ii. 63., “ut, si jam fieri possit vera conjectura somniorum, tamen isti ... facere non possint.” Frus- tra Dav. etiamsi ex uno, pro *ut jam si.*

1. *Efficitur, ut ... declinare s. c.]*

Notabilis enallage est; sed nil mutandum: cf. *N. D.* i. 25., *pertinuit, ne ... fieri*. Post *declinare* in priore editione sua addidit Dav. *eam*: sed contulit Moser c. II. infra, “De ipsa atomo dici potest, ... sine causa moveri.”

2. *Nihil liberum nobis.]* Cf. c. 9. extr.

3. *Hinc Democritus.]* Ed. Lamb. 1566. *Hoc*: codd. vero tantum non omnes *Id.* Facilis conjectura exsistere potest, *Hoc idem Democritus*: nam, quod infra addit Cic. declarationem, *necessitate omnia fieri*, id quod exemplis docet Bremius, non praeter morem suum facere judicandus esset. Sed etiam suspicatus sum sic potius legendum esse: *Hoc vidit Democritus, auctor atomorum: accipere maluit* etc. Certe distinxit post *atomorum*, quisquis primus scripsit infra, quod habet cod. *Vind.* B. apud Moser., *accipere maluit IGITUR n. o. f.* Ursini vetus liber *Hic*, nempe pro *Hinc*, opinor, notula literae *n* omissa: etsi pro adverbio accepit et probavit Davisius.

4. *Accipere maluit.]* I. e. persuasum sibi habere, agnoscere.

quum docerent<sup>5</sup> esse posse quemdam animi motum voluntarium; id fuit defendi melius, quam introducere<sup>6</sup> declinationem, cuius praesertim causam reperire non possunt<sup>7</sup>. Quo<sup>8</sup> defenso, facile Chrysippo possent resistere. Quum enim concessissent, motum nullum esse sine causa; non concederent, omnia, quae fierent, fieri causis antecedentibus: voluntatis enim nostrae non esse causas externas et antecedentis. Communi igitur<sup>9</sup> consuetudine sermonis abutimur, quum ita dicimus, Velle aliquid quempiam aut nolle sine causa: ita enim dicimus, *sine causa*<sup>10</sup>, ut dicamus, sine externa et antecedente causa, non sine aliqua. Ut quum vas inane dicimus, non ita loquimur, ut physici, quibus inane esse nihil placet: sed ita, ut, verbi causa, sine aqua, sine vino, sine oleo vas esse dicamus: sic, quum sine causa animum dicimus moveri, sine antecedente et externa causa moveri, non omnino sine causa, dicimus. De ipsa atomo dici potest, quum per inane moveatur gravitate et pondere, sine causa moveri, quia nulla causa accedit extrinsecus. Rursus autem, ne homines physici<sup>11</sup> irrideamur, si dicamus quidquam fieri sine causa; distinguendum est, et ita dicendum, ipsius individui hanc esse naturam, ut pondere et gravitate moveatur, eamque ipsam esse causam, cur ita feratur. Similiter ad animorum motus voluntarios non est requirenda externa causa: motus enim voluntarius eam naturam in se ipse<sup>12</sup> conti-

5. *Docerent.*] Bene correxit Meyerus, interpres Germanicus, pro *doce-re*.

6. *Id fuit defendi melius, quam introducere decl.*] Animadvertenda enallage vocis: sic iterum infra c. 20., "Hoc modo hanc causam disceptari oportet, non ab atomis . . . petere praesidium." Vide nos ad *Sallust. Catil.* 51. extr.

7. *Cujus praesertim causam reperiire non possunt.*] Dedit Ernestius e Guelf. possent; frustra. In mutato autem tempore haec ratio inest, q. d., *cujus praesertim causam reperiire non possent, sicut ne nunc quidem quisquam potest.* Vide nos ad *N. D.* ii. 60., *ut . . . possimus; . . . haberemus.*

8. *Quo defenso, . . . resistere.*] Haec censet Hottinger. apud Bremium in suum locum transponenda, et utique post illa supra, *id fuit defendi melius*, continuo locanda. Frustra. De usu autem pronominis videas *Wopkens. Lect. Tull.* ii. 13.

9. *Communi igitur consuetudine.*]

Dabant omnes Davisii, ut ipse ait, *enim pro igitur*; sed debebat Harleian. excipere: et tuentur vulgatam Moseri plures.

10. *Ita enim dicimus, sine causa, ut dicamus—.*] Cf. *de N. D.* ii. 29., "Sed id praecise dicitur. Ut si quis dicat, Atheniensium rempublicam consilio regi, desit illud, *Areopagi*: sic, quum dicimus *providentia mundum administrari*, deesse arbitrator deorum."

11. *Ne homines physici irrideamur.*] Vulgati ne omnes a physicis: at scripti plures, etiam Harl., omnes physicci. Itaque scripsi homines pro omnes, quae voces passim in libris permuntantur. Magis certe in promtu fuit haec conjectura, quam illa quam Censoris Jenensis recepit Moserus, *omnibus a physicis*. Ceterum cf. *de Fin.* i. 6., "nihil turpius *physico*, quam fieri sine causa quidquam dicere."

12. *In se ipse continet.*] Recte Dav. e codd. *ipse pro ipso—.* Supra

net, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat: nec id sine causa; ejus rei enim causa ipsa natura est. Quod quum ita sit, quid est, cur non omnis pronuntiatio<sup>13</sup> aut vera aut falsa sit, nisi concederimus, fato fieri quaecumque fiant? Quia futura vera, inquit, non possunt esse ea, quae causas, cur futura sint, non habent: habeant igitur causas, necesse est, ea, quae vera sunt<sup>14</sup>; ita, quum evenerint, fato evenerint<sup>15</sup>.

XII. Confectum negotium, si quidem concedendum tibi est, aut fato omnia fieri, aut quidquam fieri posse<sup>16</sup> sine causa. An aliter haec enuntiatio vera esse non potest, *Capiet Numantiam Scipio*, nisi ex aeternitate causa causam serens<sup>17</sup> hoc erit<sup>18</sup> effectura? An hoc falsum potuisse esse, si esset sexcentis saeculis ante dictum? et<sup>19</sup>, si tum non esset vera haec enuntiatio, *Capiet Numantiam Scipio*; ne illa quidem eversa<sup>20</sup>, vera est haec enuntiatio, *Cepit Numantiam Scipio*. Potest igitur quidquam factum esse, quod non verum fuerit futurum esse? nam, ut praeterita ea vera dicimus, quorum superiore tempore vera fuerit<sup>21</sup> instantia; sic futura, quorum consequenti tempore vera erit instantia, ea vera dicemus. Nec si omne enuntiatum aut verum aut falsum est, sequitur illico esse causas immutabilis, easque aeternas, quae prohibeant quidquam secus cadere atque casurum sit. Fortuitae sunt causae, quae efficiant, ut vere dicantur, quae ita dicentur, *Veniet in senatum Cato*, non inclusae in rerum natura atque mundo. Et tamen tam est immuta-

Harl. *externa requirenda c.*

13. *Omnis pronuntiatio.]* Quod vult Dav., *enuntiatio*, id habet quidem cod. Harl.: sed ad vulgatam tuendam bene attulit Bremius *Cic. Tusc.* i. 7., et *Gell.* xvi. 8.

14. *Habeant i. c., necesse est, ea q. v. s.]* Ita legendum recte censuit Davisius: vulg. *habeant i. c. necesse est: ut ea, q. v. s.;* sed istud *ut plane ignorant scripti.*

15. *Ita, quum evenerint, fato evenerint.]* Posteriore loco frustra mallebat Dav. *evenient:* nam utrobius eadem perfecta actio efferenda erat, ceterum altero loco cum tempore addito, altero cum causa.

16. *Aut quidquam fieri posse.]* Veteres editi plures posse fieri: at cod. Harl. plane delet posse.

17. *Causa causam serens.]* Cf. *Liv. xxi.* 10. apud Moser., "bella ex bellis seri."

18. *Nisi . . . hoc erit effectura?]*

Nonnulli codd. *erat*, frustra: cf. *Acad.* ii. 46. apud Wopk., "quarum esse nulla potest, nisi erit gratuita."

19. *Et, si tum . . . enuntiatio.]* Sic etiam infra h. c. extr. copula *Et* continuat ratiocinationem: "Et alterum fatum est."

20. *Ne illa quidem eversa.]* Vocem eversa bene restituit Turnebus e cod'. Recte autem Lambinus etiam invitis libris infra dedit *Cepit N.S.*, pro *Capiet*: cf. c. 9. supra: "Nec magis immutabile ex vero in falsum, 'Necatus est Scipio,' quam 'Necabitur Scipio.'"

21. *Quorum . . . vera fuerit instantia; sic f., quorum . . . vera erit instantia.]* Ita ex ed. Ven. 1471. scribendum recte censet Davisius, ut *instantia* sit nomen substantivum, quo usus sit etiam *Nigid.* apud *Gell.* ix. 12. Sed sic plane etiam cod. Harl.; adde Ulmensem apud Moserum: vulg. male fuerint — erunt

bile venturum, quum est verum, quam venisse<sup>22</sup>: nec ob eam causam fatum aut necessitas extimescenda est. Et enim erit confiteri<sup>23</sup> necesse, si haec enuntiatio, *Veniet in Tusculanum Hortensius*, verum<sup>24</sup> non est, sequitur ut falsa sit: quorum isti neutrum volunt; quod fieri non potest. Nec nos impediet illa ignava ratio quae dicitur: adpellatur<sup>25</sup> enim quidam a philosophis ἀργὸς λόγος, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. Sic enim interrogant: Si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere; sive tu medicum adhibueris, sive non adhibueris<sup>26</sup>, convalesces. Item, Si fatum tibi est, ex hoc morbo non convalescere; sive tu medicum adhibueris, sive non adhibueris, non convalesces: et alterutrum fatum est: medicum ergo adhibere nihil adtinet.

XIII. Recte genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum est, quod eadem ratione omnis e vita tolletur actio. Licet etiam immutare, ut fati nomen ne<sup>27</sup> adjungas, et eamdem tam sententiam teneas, hoc modo: Si ex aeternitate verum hoc fuit, Ex isto morbo convalesces; sive adhibueris medicum, sive non adhibueris, convalesces. Itemque, Si ex aeternitate hoc falsum fuit, Ex isto morbo non<sup>28</sup> convalesces; sive adhibueris me-

22. *Quam venisse.]* Quam quod jam evenit.

23. *Etiam erit confiteri necesse.]* I. e., Etenim, *id quod* erit confiteri necesse, si . . ., sequitur ut—. Est ergo quodammodo libera ac soluta parenthesis. Profecto non raro post fatendi verba etiam recta structura sequitur: et nequaquam necessaria est Rami et Davisii conjectura, *sequi vel sequi tum*.

24. *Si haec enuntiatio, . . . verum non est, sequitur ut falsum sit.]* Q. d., Si haec enuntiatio, *Veniet in Tusculanum Hortensius*, *si hoc* verum non est, sequitur ut falsum sit. Sic codd. plures: frustra autem Davisius ex suis dedit *vera — falsa*.

25. *Adpellatur enim quidam a philosophis —.]* I. e., est enim quaedam ratio, quae a philosophis appellatur ἀργὸς λόγος. Cod. Harl. delet *a philosophis*.

26. *Sive non adhibueris.]* Verbum *adhibueris* in altero membro alternationis frustra recisum et hic et infra paulo, item c. 13, recte restituit Davisius ex MStis et Victor. Supra autem addidi pronomen *tu* cum Mo-

sero, etiam cod. Harl. volente.

27. *Ut fati nomen ne adjungas.]* Recte Gruterus dedit *ne pro eo* quod tum editum erat *non*, e codd. et Victorio. Ergo fortasse operae pretium est formulam *ut ne pro ut non* etiam exemplis firmare:—*Cic. ad Q. Fr.* iii. 2, “*Opera datur, ut judicia ne fiant.*” *in Verr.* i. 47., “*Se curatueros, ut ex sua cujusque parte ne minus dimidium ad A. Trebonium . . . perveniret.*” et *ibid.*, “*Impetrant ut ne jurant.*” *pro Caec.* 33., “*Ut ne longius abeam.*” *de Fin.* ii. 8., “*Ex quo efficitur, non ut voluptas ne sit voluptas, sed ut voluptas non sit summum bonum.*” et iv. 14., “*Semper enim ita assumit aliquid, ut ea, quae prima dederit, ne deserat.*” *Tusc.* v. 13., “*Si ejus acies ita curata est, ut ne caecetur erroribus.*” *de Orat.* iii. 43., “*Si verba . . . ita jungetis, ut ne aspere concurrant.*” adde *dē Off.* i. 29., ii. 18., *in Caecil.* 7., *pro Cael.* 3., *pro Mil.* 12., *pro Lig.* 8.

28. *Itemque, si . . . hoc falsum fuit, Ex isto morbo non convalesces.]* Particulam *non* volunt editores abesse. Mihi longe alia sententia est. Pri-

dicum, sive non adhibueris, non convalesces. Deinde cetera. Haec ratio a Chrysippo reprehenditur. Quaedam enim sunt, inquit, in rebus simplicia, quaedam copulata. Simplex est, Moriatur eo die Socrates. Huic, sive quid fecerit, sive non fecerit, finitus<sup>29</sup> est moriendi dies. At si ita fatum sit, Nasceretur Oedipus Laio; non poterit dici, sive fuerit Laius cum<sup>30</sup> muliere, sive non fuerit: copulata enim res est et confatalis: sic enim adpellat, quia ita fatum sit, et concubitorum cum uxore Laium, et ex ea Oedipum procreaturum. Ut si esset dictum, Luctabitur Olympiis Milo: et referret<sup>31</sup> aliquis, Ergo, sive habuerit adversarium, sive non habuerit, luctabitur; erraret: est enim copulatum, Luctabitur, quia<sup>32</sup> sine adversario nulla luctatio est. Omnes igitur istius generis captiones eodem modo refelluntur. Sive tu adhibueris medicum, sive non adhibueris, convalesces; captiosum: tam enim est fatale, medicum adhibere, quam convalescere. Haec, ut dixi, confatalia ille adpellat.

#### XIV. Carneades genus hoc totum non probabat<sup>33</sup> et nimis<sup>34</sup>

mum enim, si istud voluisse Cicero, nihil attinebat tam putide eadem omnia denuo inculcare: satis erat, Itemque si falsum, sive . . . , sive . . . , non convalesces. Deinde isto modo supervacaneum fit illud Deinde cetera. Nam, quaeso, quaenam erunt ista cetera? Ac nimirum mihi persuasi, eamdem negandi particulam infra potius in conclusione delendam esse, et utique voluisse Ciceronem utrumque, et convalesces, et non convalesces, dupli modo colligere. Quasi fuisse sic perrecturus: Deinde, Si ex aeternitate verum hoc fuit, Ex isto morbo non convalesces, sive adhibueris medicum sive non adhibueris, non convalesces. Itemque, Si ex aeternitate hoc falsum fuit, Ex isto morbo convalesces, sive adhibueris medicum sive non adhibueris, non convalesces. Et mecum facit, opinor, Ursinus; qui, duobus tantummodo vocibus non convalesces allatis, monuit non ab antiquo codice abesse, sententia etiam rejiciente: cuius admonitionem ad membrum hypotheticum spectare male intellexit Davisius.

29. *Finitus . . . dies.*] Definitus: cf. Partit. 18., "sinitum temporibus."

30. *Sive fuerit Laius cum muliere.*] Varr. de L. L. v. 8., "Atque eadem modestia potius Cum muliere fuisse

quam Concubuisse dicebant."

31. *Et referret aliquis.]* Responderet. Cf. pro Caec. 29., "Ego enim tibi refero: si non sum—." adde ibid. paulo post, et infra c. 14.

32. *Luctabitur, quia sine adv. nulla luctatio est.]* Non habet locus plenum sensum, fortasse sic explendus: Luctabitur, quia [est habiturus adversarium; quoniam] sine adversario nulla luctatio est. Cod. Harl., sicuti etiam unus Moseri, est enim hoc copulatum.

33. *Non probabat.]* Hoc probabat, quod malebat Davisius, quum ipse ederet probat, jam habent libri omnes fere scripti editique: ut vir ille aliud egisse videatur. Ceterum mihi quidem non magnopere displiceret non probat; et . . . putabat, nempe distinctione paulo majore intercedente.

34. *Nimis inconsiderate.]* Pal. 2. minus considerate: sic etiam cod. Vratisl.: alius quidam apud Mosecum ab altera manu et enim is inconsiderate. Nempe omnino inconsiderate jam nimis inconsiderate librariis videbatur. Saepe autem adverbium nimis sic quasi abundat: cf. de Off. i. 29., "Ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur." ubi perperam Heusinger. mimis.

inconsiderate concludi hanc rationem putabat : itaque premebat alio modo, nec ullam adhibebat calumniam<sup>35</sup>. Cujus erat haec conclusio, Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserte contexteque fiunt : quod si ita est, omnia necessitas efficit : id si verum est, nihil est in nostra potestate : est autem aliquid in nostra potestate : at, si omnia fato fiunt, omnia causis antecedentibus fiunt: non igitur fato fiunt; quaecumque fiunt. Haec artius adstringi ratio non potest. Nam si quis velit idem referre<sup>37</sup>, atque ita dicere : Si omne futurum ex aeternitate verum est, ut ita certe eveniat, quemadmodum sit futurum, omnia necesse est colligatione naturali conserte contexteque fieri; nihil dicat: multum enim differt, utrum causa naturalis ex aeternitate futura vera efficiat, an etiam sine aeternitate<sup>38</sup> naturali, futura quae sint, ea vera esse possint intellegi. Itaque dicebat Carneades<sup>39</sup>, ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset. Quid enim spectans deus ipse diceret Marcellum<sup>40</sup> eum, qui ter consul fuit, in mari esse peritum? Erat hoc quidem verum ex aeternitate, sed causas id efficientis non habebat. Ita ne praeterita quidem ea, quorum nulla signa, tamquam vestigia, exstant, Apollini nota esse censebat: quo<sup>41</sup> minus futura: causis enim efficientibus quamque rem cognitis, posse denique sciri quid futurum esset: ergo nec de Oedipode potuisse Apollinem praedicere, nullis in rerum natura causis praepositis<sup>42</sup> cur ab eo patrem interfici necesse esset, nec quidquam ejusmodi.

XV. Quocirca si Stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, consenteum est hujusmodi oracula, ceteraque quae ad divinationem

35. *Calumniam.*] Cf. fragm. *de Rep.*, "Ut Carneadi respondeatis, qui saepe optimas causas ingenii *calumnia ludificari solet.*" apud *Nonium* iv. 74., qui interpretatur *calliditate*. Est autem locus apud Maium l. iii. c. 5. extr.

36. *Haec artius adstringi ratio non potest.*] Minus bene Turnebus *Hoc ... ratione*. Scribo autem *artius* pro *arc-tius* ex cod. Harl.

37. *Idem referre.*] I. e. retorquere; vide ad c. 13.

38. *Sine aeternitate naturali.*] Idem vult, quod priore membro dixit *causam naturalem ex aeternitate*.

39. *Dicebat Carneades.*] Cf. *de Div.* ii. 7. et 51.

40. *Marcellum eum.*] Vide de illo

*de Div.* ii. 5., et in *Pison.* 19. et hic Asconium.

41. *Quo minus futura.*] Quo minus futura nota esse Apollini censeret; i. e. quod eo faciebat, quod eo apud ipsum valebat, ut etiam minus futura nota esse censeret. Duo Davisii autem codices habebant *quanto minus*; idque recepit Moserus, ut quod placeret Davisio. Nempe eatenus istud placebat Davisio, ut, id quod res est, usitatiorem loquendi formam diceret, rectam autem etiam alteram.

42. *Nullis in r. n. causis praepositis.*] Infra c. 18., "sine *praepositis* causis."—Nomen *Apollinem* non habet cod. Harl.

pertinent<sup>43</sup>, comprobare; iis autem, qui, quae futura sunt, ea vera esse ex aeternitate dicunt, non idem dicendum est; vide<sup>44</sup>, ne non eadem sit illorum causa, et Stoicorum: hi enim urguentur angustiis<sup>45</sup>; illorum ratio soluta ac libera est. Quod si concedatur, nihil posse evenire, nisi causa antecedente; quid proficiatur, si ea causa non ex aeternis causis apta dicatur<sup>46</sup>? Causa autem ea<sup>47</sup> est, quae id efficit, cuius est causa; ut volnus, mortis; cruditas, morbi; ignis, ardoris. Itaque non sic causa intellegi debet, ut, quod cuique antecedat, id ei causa sit, sed quod cuique efficienter<sup>48</sup> antecedat: nec, quod in campus descendenterim, id fuisse causae cur pila luderem: nec Hecubam, causam interitus fuisse Trojanis, quod Alexandrum genuerit: nec Tyndareum Agamemnoni, quod Clytaemnestram: hoc enim modo viator quoque bene vestitus causa grassatori fuisse dicetur<sup>49</sup> cur ab eo spoliaretur. Ex hoc genere illud est Ennî,

43. *Quae ad divinationem pertinent.]* Sic vulgati: scripsit autem Moserus ex conj. Bremii, quam cod. S. suus firmabat, *quae ad div. pertinere dicuntur*; et habent codd. plures dicuntur quidem, sed iidem neutrum nec *pertinere* nec *pertinent* agnoscent. Evidem sic censeo, aut istam Moseri lectionem ab interprete profectam esse, nempe nimis sollicito illo, ne ipse Cicero divinationem verbo comprobare videretur, aut utramque recipiendam esse lectio- nem, scribendumque *quae ad divinationem pertinent vel pertinere dicuntur*.

44. *Vide, ne non—.]* De hac constructione vide, monente Mosero, *Vorstium de Lat. Select.* p. 207. et sq. Iterum infra c. 19., “*Vide ne idem dicant.*”

45. *Hi enim urguentur angustiis.]* Recepit nomen *angustiis* pro adverbio *angustius* ex cod. Harl., Oxon. E, et quinque Moseri, ut veteres editos multos omittam. Quod vero ait Moserus, sic oppositionis elegantiam perire, mihi secus videtur; nam ne in altero quidem membro, *illorum ratio soluta ac libera est*, comparationis forma inest. Sed nomen potius quam adverbium etiam res ipsa postulat: nempe qui *anguste* urguntur, hi ab adversario sententiam eorum impugnante urguntur; cf. *N. D.* ii.

8., “*Pergit idem et urguet angustiis*”: qui vero *angustiis* urgentur, hi in eas angustias se ipsi immiserunt atque incluserunt; id quod fecerant Stoici. *Conf. Acad.* iv. 35., “*Quum sit enim campus, in quo exultare possit oratio, cur eam tantas in angustias et Stoicorum dumeta compellimus?*”

46. *Apta dicatur.]* Recte Dav., pro ducatur.

47. *Causa autem ea est, quae—.]* I. e. *id est quod—*. Cf. *Auct. ad Henn.* iii. 3., “*Quam ille modestiam dicet esse, eam nos inertiam . . . dicemus; quam ille fortitudinem nominarit, eam nos . . . appellabimus temeritatem.*” *Cic. Parad.* v. 3., “*Quae servitus est, si haec libertas existumari potest?*” *de Rep.* ii. 42., “*Quae harmonia a musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia.*” adde *N. D.* i. 44. *Sallust. Catil.* 51., “*Quae apud alios iracundia, ea in imperio superbia atque crudelitas adpellatur.*” adde *ibid.* c. 7., ubi nos plura.

48. *Efficienter.]* Cum vi efficiendi.

49. *Hoc enim modo . . . dicetur.]* I. e. dici poterit. Cf. *N. D.* iii. 9., “*Hoc si placet, jam efficies, ut mundus optume librum legere videatur.*” et *ibid.*, “*Postremo philosophus erit mundus.*” *Frustra Davisius dicetur.*

Utinam ne in nemore Pelio securibus  
Caesa accidisset<sup>50</sup> abiegnā ad terrā trabes!

Licuit vel altius, Utinam ne in Pelio nata ulla umquam esset arbor! etiam supra, Utinam ne esset mons ullus<sup>51</sup> Pelius! similiterque superiora repetentem regredi infinite licet.

Neve inde navis inchoandae exordium  
Coepisset.

Quorsum haec praeterita? Quia sequitur illud,

Nam numquam hera errans mea, domo efferret pedem,  
Medea, animo aegro, amore saevo saucia,

non ut<sup>52</sup> eae res causam adferrent amoris.

XVI. Interesse autem aiunt, utrum ejusmodi quid sit, sine quo aliquid effici non possit, an ejusmodi, quo aliquid effici necesse sit. Nulla igitur earum est causa, quoniam nulla eam rem sua vi efficit, cuius dicitur causa: nec id, sine quo quidpiam non fit, causa est; sed id, quod quum accessit, id, cuius causa est, efficit<sup>53</sup> necessario. Nondum enim ulcerato<sup>54</sup> serpentis morsu Philocteta, quae causa in rerum natura continebatur, fore<sup>55</sup>, ut is in insula Lemno linqueretur? post autem causa fuit propior et cum exitu junctior. Ratio igitur eventus aperit causam: sed ex aeternitate vera fuit haec enuntiatio, Relinquetur in insula Philoctetes, nec hoc ex vero in falsum poterat convertere<sup>56</sup>: necesse est enim in rebus contrariis duabus (contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait<sup>57</sup>

50. *Accidisset.*] Sic, pro vulg. *cedisset*, etiam hic scribendum putavi, sicut scripsi *N. D.* iii. 30. Et sic, quum vetuste, tum etiam proprie dici mihi videtur: cf. *Plaut. Poen.* ii. 38., "Tam cebri ad terram accidebant, quam pyra."

51. *Mons ullus Pelius.*] In ed. Dav. excidit vox *ullus*. De ea autem sic judicat Bremius: nempe, quum supra dixisset Cicero, *Utinam ne . . . ULLA . . . arbor*, etiam hoc loco, flumine quodam orationis abreptum, *ullus* addidisse.—Infra cod. Harl. similiterque superius regredi, frustra.

52. *Non ut eae res—.*] Non quod—: cf. *Liv.* v. 55., extr. "Ea est causa, ut—." etsi non plane simile est; neque gemimum exemplum facile reperias. Et mallem omnino *non quo*, h. e. non eo quod.

53. *Id . . . efficit necessario.*] Tres libri Davisii, unus apud Moserum, *efficitur*, frustra: cf. c. 15., "Causa ea est, quae id *efficit*, cuius est causa."

54. *Nondum enim ulcerato.*] Cod. Harl. *nondum enim et ulcerato*: fortasse pro *exulcerato*.

55. *Quae causa . . . , fore, ut—.*] I. e., cur foret.

56. *Convertere.*] Pro *converti* recte Dav. e cod. Eliens.; accedunt duo Moseri: vide ad c. 7. sub. fin.

57. *Alterum ait quid.*] I. e. affirmat: cf. *Acad.* iv. 30., "Si e contrariis disjunctio, (contraria autem ea dico, quum alterum *ait*, alterum *negat*,) si talis disjunctio falsa potest esse, nulla vera est." adde *de Fin.* ii. 22., *de Off.* ii. 23. Cod. Harl. *ea h. l. dico*.

quid, alterum negat) ex his igitur necesse est, invito Epicuro<sup>58</sup>, alterum verum esse, alterum falsum: ut, Sauciabitur Philoceta, omnibus ante saeculis verum fuit; Non sauciabitur, falsum. Nisi forte<sup>59</sup> volumus Epicureorum opinionem sequi, qui talis enuntiationes nec veras nec falsas esse dicunt: aut, quum id pudet, illud tamen dicunt quod est impudentius, veras esse ex contrariis disjunctiones; sed quae in his enuntiata essent, eorum neutrum esse verum. O admirabilem licentiam et miserabilem inscientiam<sup>60</sup> disserendi! Si enim aliquid in eloquendo<sup>61</sup> nec verum nec falsum est, certe id verum non est: quod autem verum non est, quî potest non falsum esse? aut quod falsum non est, quî potest non verum esse? Teneri igitur<sup>62</sup> id, quod a Chrysippo defenditur, Omnem enuntiationem aut veram aut falsam esse, ratio ipsa coget; et ex aeternitate quaedam esse vera, et ea non esse nexa causis aeternis, et a fati necessitate esse libera.

XVII. Ac mihi quidem videtur, quum duae sententiae fuissernt veterum philosophorum, una eorum qui censerent omnia ita fato fieri, ut id fatum<sup>63</sup> vim necessitatis adferret; in<sup>64</sup> qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit:

58. *Invito Epicuro.*] Vide *N. D.* i. 25., *Acad.* iv. 30. Sed, quum haec verba spuria esse censeat Breuius, nempe quia mox subsequatur, "Nisi forte volumus Epicureorum opinionem sequi;" rectissime ea tuerit Moserus: istic enim fusius utique exponi, quae hic tantummodo significantur; et fieri posse, ut voluerit Cic. initio his duobus verbis defungi negotio; postea vero aliquid addendum esse viderit. Addi potest, opinor, in ista sententia propaganda atque explicanda longius aliquanto, id quod necesse erat, Epicureos quam ipsum Epicurum processisse.

59. *Nisi forte.*] De hac formula ironica praesumptionis monui ad *Salust. Catil.* 20. extr., hoc quidem ipso Ciceronis loco cum aliis indicato.

60. *Inscientiam disserendi.*] Dedit primus Gruterus *inscientiam pro inscitione*, e Pal. 2. et Fabric.; id quod etiam invitis libris faciendum putavit Lambinus de *N. D.* i. 31., *inscientia loquendi*. Et cum genitivo gerundii eam formam preferendam arbitror: vide ad *de Div.* i. 52. Tamen alteram formam praetulit Moserus, idcirco quia habeat in se aliquid utique

reprehensionis; simul etiam Gernhardi sententiam memorans: sed sat, opinor, reprehensionis jam in voce miserabilem adest.

61. *In eloquendo.*] I. e., in enunciando. Male Gruterus *loquendo*.

62. *Teneri igitur id.—.*] Junge cum illis infra, *ratio ipsa coget*. Ita, conjectura usus, emendavi locum, qui antehac duplici de causa male se habuit. Nam quod in vulgatis legitur *Tenebitur ergo*, primum istud *ergo* addititium est, et vix in tribus codicibus exstat; deinde in illis *ratio ipsa coget* parum cohaeret oratio, ut ibi quoque particula aliqua connexiva excogitanda sit; et utique requirit Moserus *ratio autem ita coget*. Itaque facile mihi persuasi, vulgatum istud *tenebitur* ex vetusta scriptura *TENERITVR*, pro *teneri igitur*, ortum esse. Ceterum *teneri*, id est *obtineri*: cf. c. 10. supra.

63. *Ita fato f., ut id fatum—.*] De nomine iterato, vide ad *N. D.* ii. 53. extr.

64. *In qua sententia . . . fuit.*] Cf. ad *Fam.* iv. 4., "Adhuc in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi—."

altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii; Chrysippus, tamquam arbiter honorarius, medium<sup>65</sup> ferire voluisse: sed applicat se ad eos potius, qui necessitate motus<sup>66</sup> animos liberatos volunt. Dum autem verbis utitur suis; delabitur in eas difficultatis, ut necessitatem fati confirmet invitus. Atque hoc, si placet, quale sit videamus in adsensionibus, quas prima oratione tractavi<sup>67</sup>: eas enim veteres illi, quibus omnia fato fieri videbantur, vi effici et necessitate dicebant: qui autem ab his dissentiebant, fato adsensiones liberabant, negabantque, fato adsensionibus exhibito, necessitatem ab his posse removeri: iique ita disserebant. Si omnia fato fiunt, omnia fiunt causa antecedente: et, si adpetitus, illa etiam quae adpetitum sequuntur: ergo etiam adsensiones: at, si causa adpetitus non est sita in nobis, ne ipse quidem adpetitus est in nostra potestate: quod si ita est, ne illa quidem, quae adpetitu efficiuntur, sunt sita in nobis: non sunt igitur neque adsensiones neque actiones in nostra potestate: ex quo efficitur, ut nec laudationes justae sint, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia. Quod quum vitiosum sit; probabiliter concludi putant, non omnia fato fieri, quaecumque fiant.

XVIII. Chrysippus autem quum et necessitatem improbaret, et nihil vellet sine praepositis causis evenire; causarum genera distinguit, ut et necessitatem effugiat, et retineat fatum. Causarum enim, inquit, aliae sunt perfectae et principales, aliae adjuvantes et proxumae. Quamobrem quum dicimus, omnia fato fieri causis antecedentibus; non hoc intellegi volumus, causis perfectis et principalibus, sed causis adjuvantibus antecedentibus<sup>68</sup> et proxumis. Itaque illi rationi, quam paulo ante conclusi<sup>69</sup>, sic occurrit. Si omnia fato fiant, sequi illud quidem, ut omnia causis fiant antepositis; verum non principalibus causis et perfectis, sed adjuvantibus et proxumis: quae si ipsae non sint in nostra potestate, non sequitur, ut ne adpetitus qui-

65. *Medium ferire voluisse.*] I. e., verbis Lambini, medium quamdam sententiam sequi. Lectionem autem restituit Victorius, ante quem legebatur *medium se ferre*, conferens Graecum μέσον τέμνειν. Et sic etiam illud *foedus ferire*, id quod monet Bremius, e Graeco expressum est.

66. *Qui necessitate motus animos liberatos volunt.*] I. e. necessitate in *motu*, sive quum moveantur. Perfecto in structura Latini sermonis nihil latius patet quam genitivus causus nominum. Neque possum ego quidem in Davisii sententiam adduci,

*motus animorum* scriendum esse. Pro *liberatos* autem scribit cod. Harl. *liberos*. Infra idem *fati necessitatem*.

67. *Quas prima oratione tractavi.*] Conjicit Bremius verisimiliter admodum *tractavit*, sc. Chrysippus.

68. *Sed causis adjuv. antecedentibus et prox.*] Vocem *antecedentibus* delendam frustra censebat Davisius. Sustuli autem cum nuperis editoribus importunam distinctionem post *adjuvantibus*, item post *antecedentibus*.

69. *Conclusi.*] Cod. Harl. *conclusimus*.

dem sit in nostra potestate : at hoc sequeretur, si omnia perfectis et principalibus causis fieri diceremus, ut quum hae causae non essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra potestate. Quamobrem qui ita fatum introducunt, ut necessitatem adjungant, in eos valebit illa conclusio : qui autem causas antecedentis non dicent perfectas neque principalis, in eos nihil valebit. Quod enim dicantur adsensiones fieri causis antepositis ; id quale sit, facile a se explicari putat<sup>70</sup> : nam quamquam adsensio non possit fieri nisi commota viso : tamen, quum id visum proxumam causam habeat, non principalem, hanc habet rationem (ut Chrysippus volt) quam dudum diximus, non ut illa quidem fieri possit nulla vi extrinsecus excitata, (necesse est enim adsensionem viso commoveri) sed revertitur ad cylindrum<sup>71</sup> et ad turbinem suum, quae moveri incipere, nisi pulsa, non possunt. Id autem quum accidit, suapte natura, quod superest, et cylindrum volvi, et versari turbinem putat.

**XIX.** Ut igitur, inquit, qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit : sic visum objectum imprimet illud quidem et quasi signabit in animo suam speciem, sed adsensio nostra erit in potestate : eaque, quemadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi et natura movebitur. Quod si aliquares efficeretur sine causa antecedente ; falsum esset, omnia fato fieri : sin omnibus, quaecumque fiunt, veri simile est causam antecedere ; quid adferri<sup>72</sup> potest, cur non omnia fato fieri fatendum sit ? modo intellegatur, quae sit causarum distinctio ac dissimilitudo. Haec quum ita sint a Chrysippo explicata, si illi, qui negant adsensiones fato fieri, fateantur tamen eas non<sup>73</sup> sine viso antecedente fieri ; alia ratio est. Sed si concedunt anteire visa, nec tamen fato fieri adsensiones, quod proxima illa et continens causa non moveat adsensionem ; vide, ne idem dicant. Neque enim Chrysippus concedens adsensionis

70. *Facile a se expl. putat.]* Utique Chrysippus. Et recte Moserus e codd. dedit *putat* pro vulg. *putant*, quomodo mendose olim legebatur etiam infra h. c. extr.

71. *Sed revertitur ad cylindrum.]* Chrysippi sententiam fuse explicat *Gellius* vi. 2. Adhibet etiam ad rem Achill. Statius scholium Didymi ad *Odyss.* i. 43. : Κάκ τούτου δηλονότι δύο περὶ ἔκαστον εἰσιν εἰμαρμέναι, αἱρέται δὲ ἔκαστος, ἦν βούλεται. Mox verbum *incipere* non agnoscunt codd. apud Moserum sex.

72. *Adferri.]* Cf. *N. D.* i. 25.,

iii. 9.

73. *Fateantur tamen, eas, non sine —.]* Negandi particulam, Lambinum sequutus, delevit Davisius ; eaque ab uno Moseri codice abest. Contra Bremius alterum *non addendum* censuit, *non fateantur*. Mihi nondum plane liquet. Certe interest nonnihil inter illas loquitiones, *fatentur assensiones non sine viso antecedente fieri*, et concedunt anteire visa, nec tamen fato fieri adsensiones : ut posset sub priore illa loquendi forma alia quaedam ratio subesse videri. Conf. c. 16. supra.

proxumam et continentem causam esse in viso positam, neque<sup>74</sup> eam causam ad adsentiendum necessariam esse concedet, ut, si omnia fato fiant, omnia fiant causis antecedentibus et necessariis: itemque illi, qui ab hoc dissentient, confitentes non fieri adsensiones sine praecursione<sup>75</sup> visorum, dicent, si omnia fato fierent ejusmodi<sup>76</sup>, ut nihil fieret, nisi praegressione causae, confitendum esse fato fieri omnia: ex quo facile intellectu est, quoniam utriusque, patefacta atque explicata sententia sua, ad eundem exitum veniant, verbis eos, non re dissidere. Omni-  
noque quum haec sit distinctio, ut quibusdam in rebus vere dici possit, quum hae causae antegressae sint, non esse in nostra potestate, quin illa eveniant, quorum causae fuerint; quibusdam autem in rebus, causis antegressis, in nostra tamen esse potestate, ut illud<sup>77</sup> aliter eveniat; hanc distinctionem utriusque adprobant: sed alteri censem, quibus in rebus quum causae antecesserint, non<sup>78</sup> sit in nostra potestate, ut aliter illa<sup>79</sup> eveniant, eas fato fieri; quae autem in nostra potestate sint, ab his fatum abesse; alteri volunt a rebus fatum omne relegari<sup>80</sup>. \* \* \*

74. *Neque e. C. concedens, . . . neque eam causam . . . concedet.]* Sic scripti omnes, particula *neque* propter tam multa intercedentia per epa-  
nalepsin quamdam geminata; q. d., *neque ipse, inquam.* Eam vero Tur-  
nebus, Lambinus, Davisius, alii, frus-  
tra abjecerunt. Retinet Gruterus;  
et aliqua ex parte recte tueretur Bre-  
mius. Ceterum junge: *Neque enim*  
*Chrysippus —; itemque illi—,*  
ut rō itemque rō neque respondeat.

75. *Sine praecursione visorum.]* Cf. *Topic.* 15., “Alia autem praecur-  
sionem quamdam adhibent ad efficien-  
dum.” ubi quod addiderit *quamdam*,  
tu sic intellige, praecursionem *qua-  
rumdam rerum*; neque cum Mosero  
id ob insolentiam vocis *praecursio-*  
*nem additam arbitrator.*

76. *Si o. fato f. ejusmodi.]* I. e. tali fato.

77. *Ut illud aliter eveniat.]* Edidit illud pro vulg. aliud Bremius ex conj.  
sua et cod. Guelf, Moserus autem e  
scriptis novem et editis ante Grut.  
Ceterum non caret hoc *illud* neglig-  
entia; non dico quod est neutrius  
generis quum antecedat *quibusdam*  
*in rebus*, nam hoc satis usitatum est;  
sed quod est numeri singularis. Cf.

illud infra h. c., “quibus in *rebus* . . .  
non sit in nostra potestate, ut aliter  
*illa* eveniant.”

78. *Quibus in rebus . . . non sit in*  
*nostra potestate, ut—.]* Sic recte  
scripti plures et veteres editi, quum  
in vulgatis sit *q. in r. quum causae*  
*antecesserint, ita ut non sit—.* Conf.  
quae opposita sunt infra, *quae autem*  
*in nostra potestate sint.*

79. *Ut aliter illa eveniant.]* Pro  
*illa* vult Dav. *illae*, frustra; vide  
paulo supra: adde *de Div.* ii. 57.,  
“ut eam providam *rerum futurarum*  
efficiat, ut ea non modo cernat multo  
ante, sed—.” Continuo recte Harl.,  
sicuti Moseri plures, *eas*: vulg. *illas*.

80. *Alteri volunt a rebus fatum*  
*omne relegari.]* Haec omnia a nobis  
nunc primum addita sunt. Poste-  
riores tres voces, *fatum omne relegari*,  
servat noster Harleianus; reliqua res  
ac sententia ultro suppeditant. Sed  
idem Harleianus, qui haec servavit,  
lacunam aliam ipse admisit. Nempe  
legitur in hoc codice: *quae autem in*  
*nostra potestate sint, ab his fatum*  
*omne relegari*; ut exciderint omnia  
inter superiorius *fatum* et eamdem vo-  
cem mox iterum redeuentem. Mirum  
autem est, potuisse Davisium, qui

**XX.** Hoc modo hanc causam disceptari oportet, non ab atomis errantibus et de via declinantibus petere<sup>81</sup> praesidium. Declinat, inquit, atomus. Primum cur? aliam enim quamdam vim motus habebunt a Democrito impulsionis<sup>82</sup>, quam plagam ille adpellat; a te, Epicure, gravitatis et ponderis. Quae ergo nova causa in natura est, quae declinet<sup>83</sup> atomum? aut num sortiuntur inter se, quae declinet, quae non? aut cur minimo declinent intervallo, majore non<sup>84</sup>? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus aut tribus? Optare<sup>85</sup> hoc quidem est, non disputare. Nam neque extrinsecus impulsam atomum loco moveri et declinare dicis; neque in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuisse causae, cur ea non e regione ferretur; nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est<sup>86</sup>, quamobrem naturalem sui ponderis motum non teneret. Ita quum adtulisset nullam causam quae istam declinationem efficeret, tamen aliquid<sup>87</sup> sibi dicere videtur, quum id dicat, quod omnium mentes adsperrnentur ac respuant. Nec vero quisquam magis confirmare mihi videtur non modo fatum, verum etiam necessitatem et vim omnium rerum, sustulisseque motus animi<sup>88</sup> voluntarios, quam hic, qui aliter obsistere fato fatetur se non potuisse, nisi ad has commentitias declinationes configisset. Nam, ut<sup>89</sup> essent atomi, quas quidem esse mihi probari nullo modo potest, tamen declinationes istae numquam explicarentur: nam si atomis, ut gravitate ferantur, tributum est necessitate naturae, quod omne pondus, nulla re impediente, moveatur et feratur necesse est; illud quoque necesse est, declinare quibusdam<sup>90</sup> atomis, vel, si volunt, omnibus naturaliter \* \* \*

hoc ipso codice usus est, lectionem tam notabilem et tale indicium codicis negligere. Ceterum in voce *relegari* elegans translatio est: qua usus est etiam *Horatius*, *Serm. i.* 10. 84., “*Ambitione relegata, te dicere possum.*”

**81. Disceptari oportet, non . . . petere.]** Vide ad c. II. supra.

**82. Aliam enim quamdam vim . . . impulsionis.]** Aliam quamdam vim, nempe vim impulsionis: vide ad *N. D. i.* 32.

**83. Quae declinet atomum.]** I. e., declinare faciat.

**84. Majore non.]** Rarius particulam non finalis est: vide *de Fin. iii.* 15., *ad Att. xiv.* 12., *xvi.* 9. Ac plerumque verbum commune pleonastice illud quidem sed tamen eleganter so-

let geminari.

**85. Optare hoc quidem est, non disputare.]** Cf. *Tusc. ii.* 12., “*Optare hoc quidem est, non docere.*”

**86. Nec . . . factum est.]** Volebat Davisius *factum esse*, ut penderet a verbo *dicis* supra; frustra: vide ad *N. D. ii.* 46.

**87. Aliquid sibi dicere videtur.]** Vide ad *de Div. ii.* 52. Ad rem autem cf. c. 9. supra.

**88. Motus animi voluntarios.]** Vocem *animi* delet cod. Harl. Scribit idem infra, *obsistere se fato*.

**89. Ut . . ., tamen—.]** Vide ad *de Div. i.* 30.

**90. Declinare quibusdam atomis.]** An scribendum? illud quoque necesse est, *declinare tributum iisdem atomis, vel si nolunt, omnibus naturaliter.*

## FRACTA.

---

---

Gell. N. A. VI. 2. extr. *Itaque M. Cicero in libro, quem de Fato conscripsit, quum quaestionem istam diceret obscurissimam esse et implicatissimam, Chrysippum quoque philosophum non expeditesse se in ea refert his verbis:*

“Chrysippus aestuans laboransque, quonam pacto explicet, et fato omnia fieri, et esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo.”

Macrobius Saturn. II. 12. *Accipite assertore Cicerone, in quo honore fuerit hic piscis (acipenser), apud P. Scipionem Africanum illum et Numantinum. Haec sunt in dialogo de Fato verba Ciceronis:*

“Nam quum esset apud se ad Lavernium Scipio, unaque Pontius; allatus est forte Scipioni acipenser, qui admodum raro capitur, sed est piscis, ut ferunt, in primis nobilis. Quum autem Scipio unum et alterum ex iis, qui eum salutatum venerant, invitasset, pluresque etiam invitaturus videretur: in aurem Pontius, Scipio, inquit, vide, quid agas; acipenser iste paucorum hominum est.”

## APPENDIX.

---

---

### CATALOGUS AUCTORUM

DE DIVINATIONE AC FATO, DE ORACULIS, DE SOMNIIS, DE ASTROLOGIA, DE DAEMONIBUS, DE MAGIA, ID GENUS ALIIS.

---

- Abano (Petro de Pierre). *La Geomantia*. 8. *Ven.* 1546.  
\_\_\_\_\_  
Decisiones Physiognomicae. 8. *ibid.* 1548.
- Abrahami, Jūdaeī, Tractatus de Nativitatibus, per Lucam Gauricum castigatus. 4. *Romae*, 1545.
- Achillini (Alexandri) de Chiromantiae Principiis et Physiognomiae. 2. *Bonon.* 1504.
- Achmetis Oneirocriticon. 4. *Lutet.* 1603.
- Albohazen de Judiciis Astrorum. 2. *Basil.* 1551.
- Albubatheri Liber Genethliacus, sive de Nativitatibus. 4. *Norimb.* 1540.
- Albumasaris Flores Astrologiae. 4. *Venet.* 1488.
- Alchabitii Libellus Isagogicus ad Magisterium Judiciorum Astrorum, interpretatus a Joanne Hispalensi. 4. *Ven.* 1482.
- \_\_\_\_\_  
Astronomiae Judiciae Principia, cum Joannis Saxonii commentario. 4. *Ven.* 1485, 1491, 1502.
- \_\_\_\_\_  
Cum comm. Val. Nabod. 4. *Col.* 1560.
- Alexandri Aphrodisiensis Περὶ Εἰμαρμένης.  
\_\_\_\_\_  
Quaestion. Natural. i. 4. ii. 5.
- Alexandri ab Alexandro Genial. Dier. i. 11. et 29; ii. 22, 26, 31; iii. 12, 15, 26; iv. 19; v. 13, 19, 25; vi. 2. et 26.
- Allaei, Arabis Christiani, Astrologiae nova Methodus; fatum universi; disceptatio in librum de fato. 2. *Rhedonis, Herbert,* 1654.
- Ananiae (Joh., J. C.,) de Magia et Maleficiis. 4. *Lugd.* 1669.
- Ananiae (Joh. Laurentii), Tabernatis, Theologi, de Natura Daemonum libri quatuor. 8. *Ven.* 1581, 1582, 1589, 1591.
- Ansaldo (Cast. Innoc.) de Theūrgia deque Theūrgicis Ethnicorum Mysteriis a Divo Paulo memoratis. 8. *Mediol.* 1761.
- Apomasaris Apotelesmata, sive de Significatis et Eventis Insomniorum, ex Indorum, Persarum, Aegyptiorumque disciplina. Joanne Leunclavio interprete. 8. *Francof.* 1577.

- Arcandum seu Alcandrinus de Veritatibus et Praedicationibus Astrologiae.  
*16. Par.* 1553.
- Aristotelis de Somno et Vigilia, de Insomniis, de Divinatione per Somnum, libri.
- Arpi (Petr. Frid.) Theatrum Fati, sive Notitia Scriptorum de Providentia, Fortuna, et Fato. 8. *Rotter.* 1712.
- Artemidori Oneirocritica. Recensuit . . . Joh. Gothof. Reiff. Tomis duobus. 8. *Lips.* 1805.
- Assheton's (William, D. D.,) Possibility of Apparitions.
- Astrampsychi et Nicephori Oneirocritica. Cum notis Nic. Rigaltii. 4. *Par.* 1603.
- Astrologia Aphoristica, Ptolemaei, Hermetis, etc. 12. *Ulm.* 1641.
- Astrologiam seu Judicariam, Artis Divinatricis Encomia et Patrocinia, quam vocant. 4. *Par.* 1549.
- Atwell's (George) Defence of Astrology. 12. *Lond.* 1660.
- Aubrey's (John, F. R. S.,) Miscellanies: on Day Fatality, Local Fatality, Ostenta, Omens, Dreams, Apparitions, Voices, Impulses, etc. 8. *Lond.* 1785.
- Augustini (S. Aurel.) de Divinatione Daemonum liber.
- Baconi (Rogeri) Epistolae de Secretis Operibus Artis, et Naturae Opera, et de Nullitate Magiae. 4. *Par.* 1542.
- Ball's (R.) Astrology improved. 8. *Lond.* 1723.
- Barrett's (Francis, F.R.C.,) Magus, or Celestial Intelligencer. 4. *Lond.* 1811.
- Basini (Bernardi), Canonici, Tractatus de Magicis Artibus et Magorum Malficiis, in suis vesperis compilatus. 4. *Par.* 1483., 8. *Ibid.* 1506., 8. *Lugd.* 1620.
- Bassantini (Jacobi) Mathematica Genethliaca.
- Batman's (Stephen,) Doom warning all men to Judgement, wherein are contained, for the most part, all the strange Prodigies happened in the world, with divers secret figures of Revelation, etc. 4. *Lond.* 1581.
- Baxter's (Richard) Historical Discourse of Apparitions and Witches, with the Certainty of the World of Spirits fully evinced. 8. *Lond.* 1691.
- Beaumont's (John) Gleanings of Antiquities (including a Discourse of Oracles). 8. *Lond.* 1724.
- 
- Historical, Physiological, and Theological Treatise of Spirits, Apparitions, Witchcrafts, and other Magical Practices. 8. *Ibid.* 1705.
- Bekker (Par Balth.) Le Monde Enchanté, ou Examen des Communs Sentimens touchant les Esprits, leur nature, leur pouvoir, leur administration, et leur operations. 4. tom. 12. *Amst.* 1694.
- Belli (Jo. Baptistae) Diatriba de Partibus Templi Auguralis. 8. *Tolosae,* 1637.
- Bianchi (Johannis) de Monstris et Rebus Monstrosis. 4. *Ven.* 1749.
- Binet (Par B.) Traité Historique des Dieux et des Démons du Paganisme. 12. *Delft.* 1696.
- Blagrave's (Jos.) Introduction to Astrology. 8. *Lond.* 1682.
- Blasii (Gerardi) Appendix ad Licetum de Monstris. 4. *Amst.* 1665.
- Blondel (Par David). Des Sibylles Celebres . . . Discours. 4. *Charenton,* 1649.
- Blondi (Mich. Ang.) de Cognitione Hominis per Adspectum. 4. *Romae,* 1544.
- 
- de Diebus Decretoriis. 4. *Romae,* 1544.
- Bodini (Joannis), Andegavensis, de Magorum Daemonomania, seu de testando Lamiarum ac Magorum cum Satana commercio, libri quatuor. 8. *Francof.* 1590, 1603.

- Boëthii (Manl.) de Diis et Praesensionibus fragmentum. Ex Codd. Regiis edidit C. B. Hase. 8. *Par.* 1823.
- Boissardi (Jani Jacobi), Vesuntini, de Divinatione et Magicis Praestigiis . . . opus. 2. *Oppenheimii*, sine anno; 4. *Hanoviae*, 1611.; iterum *Oppen.*, 4. 1615.
- Bonati (Guidonis) de Astronomia Tractatus Decem. 2. *Basil.* 1550.
- Boulton's Vindication of a Complete History of Magick, Sorcery, and Witchcraft. 8. 1722.
- Bovet's (Richard) Pandaemonium. 8. *Lond.* 1684.
- Branch's (Thomas) Thoughts on Dreaming. 8. *Lond.* 1738.
- Brayne's (John) Astrology proved to be the old Doctrine of Demons. 4. *Lond.* 1653.
- Brinley's (John) Use and Abuse of Astrology. 8. *Lond.* 1686.
- Bromhall's Treatise of Spirits; or a History of Apparitions, Oracles, Prophecies, and Predictions, with Dreams, Visions and Revelations. 2. 1658.
- Bulengeri (Jul. Caesaris) de tota ratione Divinationis, de Oraculis et Vaticinis, de Sortibus, de Auguriis, de Auspiciis, de Ominibus, de Prodigiiis, etc. 2. *Lugd.* 1621.
- Butler's (John, B. D.,) Sacred and Divine Science of Astrology asserted. 8. *Lond.* 1680.
- Calvini (Joh.) Admonitio adversus Astrologiam, quam Judiciariam vocant. 4. *Genev.* 1549.
- Camariotae (Matthaei) Orationes II. in Plethonem de Fato. 8. *Lugd. B.* 1721.
- Camerarii (Joachim.) Astrologica. 4. *Norimb.* 1532.
- (Joannis Rudolphi, M. D.,) Horarum Natalium Centuria una, sive Narratio Historica . . . in qua Scientiae Astrologicae veritas ac certitudo plane et perspicue ostenditur. 4. *Francof.* 1607.
- Campanellae (F. Thomae) Astrologicorum libri VII., in quibus Astrologia, omni superstitione Arabum et Judaeorum eliminata, physiologice tractatur. 4. *Francof.* 1630.
- De Sensu Rerum et Magia. 4. *Ibid.* 1620.
- Cardani (Hieron.) Metoposcopia, libris tredecim et octingentis Faciei Humanae Eiconibus complexa. 2. *Lutet. Par.* 1658.
- in Cl. Ptolemaei IIII. de Astrorum Judiciis Commentaria. 2. *Basil.* 1578.
- Synesiorum Somniorum libri quatuor. 4. *Basil.* 1585.
- Carleton's (George) Astrologomania. 4. *Lond.* 1624.
- Carpenter's (Richard, B. D.,) Astrology proved to be harmless, pious, useful; a Sermon. 4. *Lond.* 1657.
- Cartes (selon le Principe de M. Des) Discours sur les Influences des Astres. Par C. G. 12. *Par.* 1671.
- Casaubon (Meric, D. D.,) on Credulity and Incredulity. Two vols. 8. *Lond.* 1668—1670.
- Treatise on Enthusiasm. 8. *Ibid.* 1655.
- Vide* Hieroclem.
- Casmanni (Othonis) Astrologia, Chronographia, et Astromanteia. 8. *Francof.* 1599.
- Censorinus de Die Natali. Ex recens. Sigeberti Havercampi. 4. *Lugd. B.* 1767.
- Chamber's (John) Treatise against Judicial Astrology. 4. *Lond.* 1601.
- Chambre (Par M. C. de la) Discours sur les Principes de la Chirçmancie. *Par.* 1653.
- Cheki (Joh., Equitis) de Fato et Providentia Dei. 8. *Lond.* 1545.

- Childrey's (Joshua, D. D.,) *Indago Astrologica, or a Brief and Modest Inquiry, etc.* 4. *Lond.* 1652.
- Chrysostomi (D. Johannis) *de Fato oratiunculae sex, de Providentia Dei libri tres.*
- Claseni (Daniel) *de Oraculis Gentilium, et in specie de Vaticiniis Sibyllinis, libri tres.* 4. *Helmest.* 1673.
- 
- Theologia Gentilis, seu Demonstratio qua probatur Gentilium Theologiam ex fonte Scripturae originem traxisse. 4. *Francof.* 1684.
- Clusa (Jacobi de) *Tractatus de Apparitionibus Animarum post exitum earum a corporibus, et de earum receptaculis.* 2. *Burgdorf.* 1475.
- Coclesii (Barth.) *Brevis Epitome Totius Artis Physiognomiae.*
- 
- Chiromantia, cum Dilucidationibus Tricassi Cerasariensis. 8. *Ven.* 1525.
- 
- La Geomantia. 8. *Ibid.* 1550.
- Cokayne's (George) *Divine Astrology; the substance of a Sermon.* 8. *Lond.* 1658.
- Coley's (H.) *Clavis Astrologiae.* 8. *Lond.* 1676.
- Combachii (Joh.) *Disquisitiones duae, de Casu et de Divinationibus.* 8. *Marp.* 1640.
- Corvi (Andr.) *Chiromantia.* 8. sine loco aut anno. Gallice, 12. *Lyon,* 1611.
- Coxe's (Francis) *Short Treatise, declaring the detestable Wickedness of Magical Sciences, as Necromancie, Conjurations, Curious Astrologie, and such like.* 8. *Lond.* 1561.
- Cremonensis (Gerhardi) *Géomancie Astronomique.* 8. *Par.* 1669.
- Crow's (F.) *Vanity and Impiety of Judicial Astrology.* 8. *Lond.* 1690.
- Culpepper's (Nic.) *Opus Astrologicum.* 12. *Lond.* 1654.
- 
- Dale (Antonii Van) *de Oraculis Veterum Ethnicorum Dissertationes duae; quarum nunc prior agit de eorum Origine atque Auctoribus, secunda de ipsorum Duratione et Interitu. Editio secunda.* 4. *Amst.* 1700.
- 
- Dissertationes de Origine ac Progressu Idolatriae et Superstitionum. 8. *Amst.* 1696.
- Dariott (Claudii) *ad Astrorum Judicia Introductio. .... Accessit Fragmentum de Morbis et Diebus Criticis ex Astrorum Motu cognoscendis.* 4. *Lugd.* 1557. Anglice, 4. *Lond.* 1598.
- Deckeri (Joh. Henr.) *Spectrologia, seu Discursus Philosophicus de Spectris.* 12. *Hamb.* 1690.
- Delrio (Martini) *Disquisitiones Magicae, quibus continetur accurata Curiosarum Artium et Vanarum Superstitionum confutatio.* 2. *Lugd.* 1612. *Ven.* 1616.
- Dee (Johannis) *Brevis et Perspicua Ratio Judicandi Genituras, ex Physicis Causis et Varia Experientia exstructa, et ea Methodo tradita ut quivis facile in genere omnium Thematum indicia inde colligere possit. Praefixa est Admonitio de vero et licto Astrologiae usu per Hieron. Wolfium ... in Dialogo conscripta. Adjectus est praeterea libellus de praestantioribus quibusdam Naturae Virtutibus.* 4. *Lond.* 1558.
- 
- Speculum Unitatis; sive Apologia pro fratre Rogerio Bacono Anglo. 1557.
- Denis (Par Jean) *Discours sur l'Astrologie Judiciare et sur les Horoscopes.* 4. *Par.* 1668.
- Derodon (Par David) *Discours contre l'Astrologie Judiciare.* 8. *Gen.* 1663.
- Dickinsoni (Edm., sive potius Henrici Jacob) *Delphi Phoenicizantes, sive Tractatus in quo Graecos, quicquid apud Delphos celebre erat, e Josuae historia scriptisque sacris effinxisse rationibus haud inconcinnis ostenditur. Appendix Diatriba de Noae in Italiam adventu.* 8. *Oxon.* 1655.

Dreams, The Theory of; in which an Inquiry is made into the Powers and Faculties of the Human Mind, as they are illustrated in the most remarkable Dreams recorded in Sacred and Profane History. Two vols. 12. *Lond., Rivington, 1812.*

Duditii (Andr.) de Cometarum Significatione Commentariolus. 2. *Basil. 1579.*

Erasti (Tho.) Defensio libelli Hier. Savonarolae de Astrologia Divinatrice 2. *Heidelb. 1569.*

de Cometarum Significationibus sententia. 2. *Basil. 1579.*

de Astrologia Divinatrice Epistolae. 2. *Ibid. 1580.*

Repetitio Disputationis de Lamiis seu Strigibus. 4. *Amst. 1606.*

Eszler (Johannis) Speculum Astrologorum. 4. *Mogunt. 1508.*

Ewich (Johannis, M. D.,) de Sagarum (quas vulgo veneficas appellant) Natura, Arte, Viribus, et Factis; item de Notis Indiciisque quibus agnoscantur; et poena qua afficiendae sint. 8. *Bremae, Marp. 1584.*, *Marp. 1590.*

Fabri (Joh. Matth.) Vindiciae Astrologiae. 4. *1690.*

Ferrerii (Augerii) de Somniis liber. 12. *Lugd. 1549.*

de Diebus Decretoriis. 12. *Ib. 1549.*

Des Jugemens Astronomiques sur les Nativitez. 8. *Lyon. 1550.*

(Johannis) de vera Cometae Significatione. 4. *Par. 1540.*

Ferriar's (John, M. D.,) Essay towards a Theory of Apparitions. 8. *Lond. 1813.*

Firmici (Jul.), Materni, Astronomicō libri VIII. 2. *Basil. 1551.*

Foe's (Daniel de) Essay on the History and Reality of Apparitions. *Lond. 1727.*

Fontani (Jac.) Physiognomia Aristotelis commentariis illustrata. 8. *Par. 1611.*

de Astrologia Medica. 8. *Lugd. 1621.*

Fontenelle (Par M. de), Histoire des Oracles.

An Answer to. Translated from the French (of Baltus). Two vols. 8. *Lond. 1709, 1710.*

Fresnoy (Par Lenglet du), Traité Historique et Dogmatique sur les Apparitions, les Visions, et les Révélations Particulières. 2. tom. 12. *Par. 1751.*

Recueil de Dissertations anciennes et nouvelles sur les Apparitions, les Visions, et les Songes. 4. tom. 12. *Par. 1752.*

Fraser's (John) Brief Discourse concerning Second Sight. 8. *Edin. 1707.*

Fulconis (Guil.) Antiprognosticon; contra inutiles Astrologorum Praedictiones. 8. *Lond. 1560.*

Ludus Astrologorum. 4. *Ib. 1572.*

Gadbury's (John) Doctrine of Nativities. 2. *Lond. 1658.*

Natura Prodigiōrum. 8. *Ibid. 1660.*

Collectio Geniturarum. 2. *Ibid. 1662.*

de Cometi Tractatus. 4. *Ibid. 1665.*

Thesaurus Astrologiae. 8. *Ibid. 1674.*

Gaffarelli (Jacobi) Curiositates Inauditae, de Figuris Persarum Talismanicis, Horoscopo Patriarcharum, et Characteribus Coelestibus. Cum notis M. G. Michaelis. Tomis duobus. 12. *Amst. 1676.*

Gallaei (Servatii) Dissertationes de Sibyllis earumque Oraculis. Cum figuris aeneis. 4. *Amst. 1688.*

- Garcae (Joh.) Astrologiae Methodus. 2. *Basil.* 1570.  
 Gassendi's (Peter) Vanity of Judiciary Astrology. 8. *Lond.* 1659.  
 Gatti (Ant.) de Cometis Tractatus. 2. *Romae,* 1587.  
 Gaudentii (Paganini) de Prodigiorum Significatione. 4. *Flor.* 1638.-  
 Gaule's (John) Mag-astromancer: a Confutation of Judicial Astrology. 4.  
*Lond.* 1652.  
 Gaurici (Lucae), Geophonensis, Opera Astronomica et Astrologica. Tomis  
 tribus. 2. *Basil.* 1575.  
 Gellii (A.) Noct. Att. xiv. 1., xv. 18.  
 Gerbier's (C.) Astrologo-Mastix. 4. *Lond.* 1646.  
 Glanvil's (Jos.) Blow at Modern Sadducism; or Philosophical Considerations  
 touching the being of Witches and Witchcraft. 4. *Lond.* 1666.  
 —— Sadducismus Triumphatus; or a full and plain Evidence con-  
 cerning Witches and Apparitions. 8. *Lond.* 1682. 1726.  
 Goad (Johannis), Angli, Astro-Meteorologica Sana. 4. *Lond.* 1690.  
 Goclenii (Rod.) Astrologia Generalis. 4. *Marp.* 1611.  
 —— Apologeticus pro Astromantia Discursus. 4. *Ibid.* 1611.  
 —— Tractatus de Divinatione ex Astris, Lineis Manuum et Fron-  
 tis. 12. *Francof.* 1618.  
 —— Acroteleuton Astrologicum. 4. *Marp.* 1618.  
 —— Physiognomica et Chiromantica Specialia. 8. *Ibid.* 1621.  
 Godelmani (Joh. Georg.) de Magis, Veneficis, et Lamiis, deque his cognos-  
 cendis et puniendis. 4. *Francof.* 1591, 1601.  
 Godson's (Robert) Astrologia Reformata, or a Reformation of the Prognos-  
 tical Part of Astronomy, vulgarly termed Astrology. 8. *Lond.* 1696, 1697.  
 Grataroli (Gulielm.) de Praedictione Morum Naturarumque hominum facili  
 ex Inspectione Partium Corporis.  
 Grillandi (Petri) de Sortilegiis. 8. *Francof.* 1592.  
 Grosii (Hennengi) Magica; de Spectris et Apparitionibus Spirituum, de  
 Vaticiniis et Divinationibus, etc. 12. *Lugd. B.* 1656.  
 Grotii (Hugonis) Philosopherum Sententiae de Fato. 4. *Par.* 1648.  
 Grynaei (Simonis) de Natura et Significationibus Cometarum Commentarius.  
 2. *Basil.* 1580.  
 Gyfford's (George) Discourse of the subtle Practices of Devils by Witches  
 and Sorcerers. 4. *Lond.* 1587.  
 Haen (Ant. de M. D.) de Magis. 8. *Ven.* 1775.  
 Haly (Abu Hasen, Aben Ragel) de Judiciis Astrorum. 2. *Ven.* 1485, 1503;  
 emendante Ant. Stupa, 2. *Basil.* 1551, 1571.  
 Hammond's (George) Discourse of Angels; also something touching De-  
 vils, Apparitions and Impulses. 4. *Lond.* 1701.  
 —— Modest Inquiry into the Opinion concerning a Guar-  
 dia Angel. 4. *Ibid.* 1702.  
 Hannemann (Joh. Ludov.) Berthadigung der Astrologie. 4. *Hamb.* 1699. et  
 1701.  
 Hartlieb (Dr.). Die kunst Cyromantia. Liber scriptus a. 1448., Germanice;  
 impressus xylographice, 2. Augsburgi, circiter 1457. Foliis constat viginti  
 et quatuor, utraque pagina impressis.  
 Haschardi (Petr.) Clypeus Astrologicus aduersus Flagellum Franc. Rapardi.  
 8. *Lovan.* 1552.  
 Hedelin (Par F.) Des Satyres, Brutes, Monstres, et Démoms; de leur Culte  
 et Adoration. 8. *Par.* 1627.  
 Hemminga (Sixti ab) Astrologiae Ratione et Experientia Refutatae liber. 4.  
*Antverp.* 1583.

Hemmingii (Nic.) *Admonitio de Superstitionibus Magicis Vitandis.* 8. *Hafn.* 1575.

Heydon's (Sir Christopher) *Defence of Judicial Astrology*, in answer to Mr. John Chamber. 4. *Camb.* 1603.

Astrological Discourse in Justification of the Validity of Astrology, shewing the Influence of the Planets and Fixed Stars upon Elementary Bodies. 8. *Lond.* 1650.

Heynii (Chr. G.) *Historiae Naturalis Fragmenta ex Ostentis, Prodigis, et Monstris.* 2. *Götting.* 1784.

Hieroclis de Providentia ac Fato, deque Liberi Arbitrii cum Divina Gubernatione Convenientia, Epitome. Cum notis Merici Casauboni. 8. *Lond.* 1673.

Hippocratis de Insomniis liber.

de Medicorum Astrologia.

Hispalensis (Joh.) *Epitome Totius Astrologiae.* 4. *Norimb.* 1548.

Hobbes (Thomas) *The Questions concerning Liberty, Necessity, and Chance,* stated and debated between Mr. Hobbes and Dr. Bramhall. 4. *Lond.* 1656.

Hoping (Joh. Abr. Jac.) *Chiromantia Harmonica et Institutiones Chiromanticæ.* 8. *Jen.* 1681.

Howarde's (Henrie, Earl of Northampton,) *Defensative against the Poyson of supposed Prophecies.* 4. *Lond.* 1583.

Hutchinson's (Francis, Bishop of Down and Connor,) *Historical Essay on Witchcraft.* 8. *Lond.* 1718.

Hyde, (Thomae, D.D.,) *Veterum Persarum et Medorum Religionis eorumque Magorum Historia.* 4. *Oxon.* 1700, 1706, 1760.

Hyperius (Andreas), a learned Divine, Two Common Places taken out of, whereof in the one he sheweth the force that the Sonne, Moone, and Starres have over Men, etc. ; in the other, whether the Devils have been the shewers of magicall artes, etc. 8. *Lond.* 1581.

Jamblicus de Mysteriis Aegyptiorum, Chaldaeorum, et Assyriorum. A Ludolpho Kustero. 4. *Amst.* 1707.

James I. *Daemonologie*, in forme of a Dialogue, divided into three Bookes : Written by the High and Mighty Prince James, etc.

Indagine (Johannis ab) *Introductio in Chiromantiam, Physiognomiam, et Astrologiam Naturalem, Complexiones Hominum, Naturas Planetarum ; cum Periaxiomatibus de Faciebus Signorum et Canonibus de Aegritudinibus.* 2. *Argent.* 1531. 1541 ; 8. *Ib.* 1622.

Ingebern (Johannis) *Chiromantia, Metoposcopia, et Physiognomia Practica.* 8. *Francof.* 1724.

Ingolstetteri (Joh.) *de Natura Occultorum et Prodigiisorum Dissertatio.* 8. *Lips.* 1597.

Insulanus (Theophilus) *A Treatise on the Second Sight.* 12. *Edin.* 1763.

Irish's (David) *Animadversio Astrologica.* 8. *Lond.* 1701.

Junctini (Franc.) *Speculum Astrologiae cum Comment. in Ptolemaei Quadruplicatum.* Tomis duobus. 2. *Lugd.* 1581.

de Divinatione quae fit per Astra Judicium. 12. *Col.* 1580.

Kirby's (R.) *Marrow of Astrology.* 4. *Lond.* 1687.

Lancre (Par Pierre de). *Tableau de l'Inconstance des Mauvais Anges et Démons.* 4. *Par.* 1613.

L'Incrédulité et Mescréance du Sortilége plainement convaincu. 4. *Ibid.* 1622.

- Lavareti (Ludov.) de Spectris, Lemuribus, et Magnis atque Insolitis Frago-  
ribus Variisque Praesagitionibus, quae plerumque obitum Hominum,  
Magnas Clades, Mutationesque Imperiorum, praecedunt. 8. *Lugd. B.*  
1659. et 1687.
- Liceti (Fortunii), Genuensis, de Monstrorum Natura, Causis, et Differentiis  
libri duo. Ex recens. Ger. Blasii. 4. *Amst.* 1665.
- Lilly's (W.) Christian Astrology. 4. *Lond.* 1659.
- Lindhout (Henrici A.) Introductio in Physicam Judiciariam sive Astrolo-  
giam. 4. *Hamb.* 1597., *Francof.* 1608.
- Loter's (P. de) Treatise of Spectres, or Strange Sights, Visions, and Appari-  
tions. 4. 1605.
- Loyer (Par Pierre le) Discours et Histoires des Spectres et Apparitions des  
Esprits, Anges, Démons, etc. 4. *Par.* 1605.
- Lycosthenis (Conradi) Prodigiorum ac Ostentorum Chronicon. 2. *Basil.*  
1557.
- Lydi (Joh. Laurent.) de Ostentis quae supersunt. Ex codd. Regiis edidit  
C. B. Hase. 8. *Par.* 1823.
- Maccari (Agost.) Secreti Astrologici. 4. *Ven.* 1681.
- Macrobius (Aurel.) in M. T. Ciceronis Somnium Scipionis Commentarius.
- Manethonis Apotelesmaticorum libri sex. Cura Jac. Gronovii. 4. *Lugd. B.*  
1698.
- Manilii (M.) Astronomicon.
- Martin (Par D. Jacques). Explication de Divers Monumens Singuliers qui  
ont rapport à la Religion des plus Anciens Peuples. Avec . . . un Traité  
sur l'Astrologie Judiciaire. 4. *Par.* 1739.
- Mason's (James) Anatomy of Sorcery; wherein the wicked impiety of Charm-  
ers, Inchanter, and such like, is discovered. 4. *Lond.* 1612.
- Maximi Tyrii Dissertatio XIX. ed. Dav.
- Mayen (Philippi) Chiromantia et Physiognomia Medica. 12. *Hag.* 1667.  
1669., 8. *Dresd.* 1697.
- Michaelis's (Frier Sebastian) Discourse of Spirits; containing whatever is  
necessary for the full Understanding and Resolution of the difficult Argu-  
ments of Sorcerers. 4. 1600.
- Middleton's (John) Practical Astrology. 8. *Lond.* 1679.
- Molitoris (Ulrici) Tractatus de Lamiis et Pythonicis Mulieribus. 4. *Constan-  
tiae* 1489., 12. *Par.* 1561.
- Molinaei (P.) Vates, seu de Praecognitione Futurorum et Bonis Malisque  
Prophetis libri V. 8. *Lugd. B.* 1640.
- More's (Henry, D. D.,) Confutation of Astrology. 4. *Lond.* 1681.
- Moreton's (Andrew) Essay on Apparitions. 8. *Lond.* 1727.
- Morini (Joh. Baptist.) Astrologia Gallica. 2. *Hag. Com.* 1661.
- Mussardi (P.) Historia Deorum Fatidicorum, Vatum, Sibyllarum, Phaeba-  
dum, &pud Priscos illustrium : cum eorum Iconibus. Praeposita est Dis-  
sertatio de Divinatione et Oraculis. 4. *Coloniae Allob.* 1675.
- Nabod (Valent.) Enarratio Elementorum Astrologiae. 4. *Col.* 1560.
- Nares's (Robert, B. D.,) Essay on the Demon or Divination of Socrates. 8.  
*Lond.* 1782.
- Naudé (Par G.) Apologie pour les Grands Hommes Soupçonnez de Magie.  
8. *Amst.* 1712.
- Necromantia. 2. *Lond.*, John Rastell, *sine anno*.
- Neuhusii Fatidica Sacra. 8. *Amst.* 1635.
- Nippi (Augustini) de Intellectu et Daemonibus. 2. *Venet.* 1503. et 1527.

- Niphi (Augustini) de Auguriis. 8. *Basil.* 1534.  
 \_\_\_\_\_ de Diebus Criticis. 4. *Marp.* 1614.
- Novesii (P. Thyraei) de variis tam Spirituum quam Vivorum Virorum Prodigiiis, Apparitionibus, etc. libri tres. 4. *Colon.* 1594.
- Obsequentis (Jul.) Prodigiorum liber.
- Omar Tiberiadis de Nativitatibus et Interrogationibus liber. 4. *Ven.* 1503.
- Partridge's (John) Opus Reformatum, or Treatise of Astrology. 4. *Lond.* 1693.  
 \_\_\_\_\_ Defectio Geniturarum, or Essay toward the reviving and proving the true old principles of Astrology. 4. *Ib.* 1697.
- Penesyre's (S.) New Guide to Astrology. 8. *Lond.* 1726.
- Peuceri (Casp.) Commentarius de Praecipuis Generibus Divinationum. 12. *Viteb.* 1572.
- Pezelii (D. Christophori) Praecepta Genethliaca, sive de prognosticandis hominum nativitatibus commentarius eruditissimus. 4. *Francof.* 1607.
- Phlegontis Tralliani de Mirabilibus et Longaevis libellus. 8. *Hal. Magd.* 1775.
- Physiognomiae Scriptores Veteres. Gr. et Lat. Recensuit . . . J. G. Frid. Franzius. 8. *Alten.* 1780.
- Pici Mirandulae (Johannis) Disputationum in Astrologiam libri XII., de rerum Praenotione libri IX. 2. *Basil.* 1602.
- Pighii (Alberti) adversus Prognosticatorum vulgus, qui annuas Praedictiones edunt, et se Astrologos mentiuntur. 4. *Par.* 1518.
- Pisani (Oct.) Astrologia. 2. *Antv.* 1613.
- Plotinus de Fato, de Providentia, de Familiari cujusque Daemone.
- Plutarchi Comment. cur nunc Pythia non reddit oracula carmine.  
 \_\_\_\_\_ de Defectu Oraculorum.  
 \_\_\_\_\_ de Fato libellus.
- Pomponatii (Petri) de Incantationibus, de Fato, Libero Arbitrio, Praedestinatione, Providentia Dei, libri V. 8. *Basil.* 1567.
- Porphyrii ad Anebonem Aegyptium Epistola (vulgo Iamblici lib. de Mysteriis praemissa).
- Portae (Joh. Bapt.) Physiognomia. 4. *Romae,* 1637., *Lugd.* 1645., et alibi.
- Prieratis (Sylvestr.) de Strigimagarum Daemonumque Mirandis libri III. 4. *Romae.* 1521.
- Priestley's (Joseph, LL.D.,) Doctrine of Philosophical Necessity. 8. *Lond.* 1777.  
 \_\_\_\_\_ Letters to Mr. John Palmer in defence of the same. 8. *Lond.* 1779, 1780.  
 \_\_\_\_\_ Letter to Joseph Bryant, Esq., on the same. 8. *Lond.* 1780.
- Proclus de Anima et Daemone, de Sacrificio et Magia.
- Pselli (Michaelis) de Operatione Daemonum Dialogus. Gr. et Lat. Cum notis Gilberti Gaulmini. 12. *Par.* 1615.
- Ptolemaei (Claudii) de Judiciis Astrorum libri IV. 4. *Norimb.* 1535.
- Raguseii (Georgii), Veneti, Epistolarum Mathematicarum, seu de Divinatione, libri duo. 8. *Par.* 1623.
- Ramesay's (William) Lux Veritatis, or Christian Judicial Astrology Vindicated and Demonology Confuted. 8. *Lond.* 1651.  
 \_\_\_\_\_ Astrologia Restaurata. 8. *Ibid.* 1654.
- Rantzovii (Henr.) Calendarium in usum Medicorum et Astrologorum. 2. *Hamb.* 1590.

- Rantzovii (Henr.) de Somniis eorumque eventibus. 4. *Rostoch.* 1591.  
 ————— Tractatus Astrologicus de Genethliacorum Thematum  
 judiciis pro singulis nati accidentibus. 8. *Francof.* 1602, 1625.  
 ————— Catalogus Imperatorum, etc., qui Astrologicam Artem  
 amarunt et exercuerunt. 8. *Antv.* 1580.
- Raunce's (John) Brief Declaration against Judicial Astrology. 4. *Lond.*  
 1650.
- Astrologia accusata pariter et condemnata. 4. *Ibid.* 1650.
- Rhyne (Willh. Ten., M. D.,) Orationes tres, sc. de Chymiae et Botanicae  
 Antiquitate et Dignitate, de Physiognomia, de Monstris. 8. *Lond.* 1683.
- Rothmann's (John) Chiromancy; or the Art of Divining by the Lines and  
 Signatures of the Hand of Man, by the hand of Nature. Englished by  
 George Wharton. 8. *Lond.* 1652.
- Rowland's (William, M. D.,) Judicial Astrology Judicially Condemned. 8.  
*Lond.* 1652.
- Saalfeld's Philosophical Discourse on the Nature of Dreams. Translated  
 from the German. 12. *Lond.* 1764.
- Salmon's (W.) Horae Mathematicae, seu Urania. 8. *Lond.* 1679.
- Sanders's (Rich.) Physiognomy, Chiromancy, and Art of Memory. 2. *Lond.*  
 1653. 1671.
- Astrological Judgment and Practice of Physic; deduced  
 from the position of the heavens at the decumbiture of the sick person. 4.  
*Ibid.* 1677.
- Savonarola (F. Hieron.) Opera Singolare del padre, contra l'Astrologia Di-  
 vinatrice. 8. *In Vinegia.* 1536.
- Scaligeri (Jul. Caes.) in librum Hippocratis de Insomniis Commentarius. 12.  
*Amst.* 1659.
- Schedii (Eliae) de dIs Germanis, sive veteri Germanorum, Gallorum, Britan-  
 norum, Vandalorum religione Syngrammata quatuor. 8. *Amst.* 1648.
- Schoneri (Joh.) Opusculeum Astrologicum. 4. *Norimb.* 1539.
- Astrologiae Judiciariae libri tres. 2. *Ibid.* 1551.
- Scot's (Reginald) Discouerie of Witchcraft; whereunto is added, A Treatise  
 upon the Nature and Substance of Spirits and Divels, etc. 4. *Lond.* 1584.
- (Michael) Mensa Philosophica. 4. *Lips.* 1603.
- (Sir Walter) Letters on Demonology and Witchcraft.
- Seldeni (Joannis) de dIs Syris Syntagma II. Cum additamentis M. A. Bey-  
 eri. 8. *Amst.* 1680.
- Senecae (L. Annaei) Quaest. Nat. I. II.
- Sextus Empiricus adversus Mathematicos.
- Sibyllina Oracula, ex vett. codd. aucta, renovata, et notis illustrata, a D. Jo-  
 hanne Obsopaeo, Brettano. 8. *Par.* 1599.
- , ex vett. codd. emendata ac restituta, et commentariis di-  
 versorum illustrata, opera et studio Servatii Gallaei. 4. *Amst.* 1689.
- Sibyllini libri III. Gr. et Lat. (edente V.C., Angelo Maio) 8. *Mediol.* 1817.
- Simpson's (Thomas, F. R. S.,) Nature and Laws of Chance. 4. *Lond.* 1740.
- Sinclair's (George) Satan's Invisible World Discovered; or a Choice Col-  
 lection of Relations anent Devils, Spirits, Witches, and Apparitions. 12.  
*Edin.* 1685.
- Sorbin (Arnaud) Tractatus de Monstris. 12. *Par.* 1570.
- Spencer's (John, B. D.,) Discourse concerning Prodigies; wherein the va-  
 nity of Presages by them is reprehended, and their true and proper Ends  
 asserted and vindicated. 8. *Lond.* 1665.
- Squarciulpi (Marcelli) de Cometa in universum, atque de illo qui anno  
 1577. visus est, opinio. 2. *Basil.* 1580.

- Swadling's (Thomas, D. D.,) *Divinity no Enemy to Astrology.* 4. *Lond.*  
1653.
- Synesii de Insomniis liber, cum commentario Nicephori.  
— Aegyptii, sive de Providentia libri II.
- Taisnier (Johannis) *Astrologiae Judiciariae Isagoge.* 8. *Col.* 1559.
- Tanneri (Adam) *Orationes et Quaest. V. de Astrologia Sacra.* 2. *Ingolst.*  
1615.
- Taylor's (Joseph) *Apparitions, or the Mystery of Ghosts, Hobgoblins, and*  
*Haunted Houses developed.* 12. *Lond.* 1814.
- Torreblanca Vilalpandi (Francisci) *Epitome Delictorum; seu libri IV., in*  
*quibus de Invocatione Daemonum occulta et aperta.* 2. *Hispali,* 1618.
- Trithemii (Johannis) *Octo Quaestionum liber.*
- Valer. Max. i. 7.
- Valle de Moura (Emanoel do) *liber de Incantationibus seu Ensalmis.* 2. *Ebo-*  
*rae,* 1620.
- Vattier (Par P.) *L'Onirocrite Musulman, ou Doctrine et Interpretation des*  
*Songes selon les Arabes, trad. de Gabdorhachman.* 12. *Par.* 1664.
- Virgilii (Polydori) *de Prodigiiis Dialogi.* 8. *Basil.* 1531. 1533. 1552.
- Vossii (Gerhardi Joannis) *de Theologia Gentili et Physiologia Christiana:*  
sive de Origine ac Progressu Idolatriae, ad veterum gesta ac rerum natu-  
ram reductae; deque Naturae Mirandis, quibus Homo adducitur ad  
Deum, Libri IX. 4. *Francof.* 1668—9.
- (Is.) *de Sibyllinis aliisque quae Christi natalem praccessere Oraculis.*  
8. *Oxon.* 1679.
- Wagneri (Tobiae) *Astrologia Genethliaca.* 4. *Stutg.* 1656.
- *Inquisitio in Oracula Sibyllarum de Christo.* 4. *Tubing.*  
1664.
- Warburton's (William, D. D.,) *Critical and Philosophical Inquiry into the*  
*Causes of Prodigies and Miracles, as related by Historians.* 12. *Lond.*  
1727.
- Wagstaff's (John, M. A.,) *Question of Witchcraft Debated.* 8. *Lond.* 1669.
- Webster's (John, M. D.,) *Displaying of Supposed Witchcraft; wherein also*  
is handled the existence of Angels and Spirits, and the truth of Appari-  
tions, the nature of Astral and Siderial Spirits, the force of Charms and  
Philters, with other abstruse matters. 2. *Lond.* 1677.
- Weigel's (Val.) *Astrology Theologised.* 4. *Lond.* 1649.
- Welperi (Eber.) *Speculum Astrologicum.* 4. *Argent.* 1668.
- *Tractatus Genethialogicus.* 8. *Ibid.* 1700.
- Whiston's (W.) *Vindication of the Sibylline Oracles.* 8. *Lond.* 1715.
- Wieri (Johannis) *de Praestigiis Daemonum et Incantationibus.* 4. *Basil.*  
1577.
- Winrichii (Mart.) *de Ortu Monstrorum Commentarius.* 8. 1595.
- Witchcraft and the Second Sight, a Collection of rare and curious Tracts on.  
*Edin.* 1822.
- Wolfii (Hieron.) *Admonitio de vero et licito Astrologiae usu.* 4. *Lond.* 1558.
- Worsdale's (John) *Genethliacal Astrology, comprehending an Inquiry into*  
and Defence of the Celestial Sciences, with the Method of rectifying  
Nativities.
- Zanchii (Hieron.) *Tractatus de Divinatione et Variis ejus Speciebus.*
- Zoroastris *Oracula Magica, cum Scholiis Plethonis et Pselli.* Studio Johan-  
nis Obsopaei. 8. *Par.* 1599.



## INDEX IN NOTAS,

### LATINITATIS ATQUE AUCTORUM.

---

- A* vel *ab*, 61 b, 113 b.  
*Abdicere*, 16 b.  
*Abhorrere aliqua re*, 146 b.  
*Ablativi usus*, 11 b, 20 a, 41 a (bis),  
57 a, 94 b, 97 a, 115 a, 133 a.  
*Accidere ad*—, 160 a.  
*Accipere*, discendo, 76 a, 153 b.  
*Accommodare*, 10 a.  
*Acuminibus*, *auspicium ex*, 105 b.  
*Acutus*, *an cautus*? 26 a.  
*Ad*, *instar*, 11 a, 12 a; *ad Syracusas*,  
28 a; *ad lucem*, 31 a; *ad vesperum*,  
55 a; *ad extremum*, 82 a; *audire ad aliquid positum*, 144 a.  
*Adducor*, 18 b.  
*Adest*, ultima correpta, 36 b.  
*Adjectiva*, pro adverbii, 39 a, 101  
a; iis nominibus adhaerentia, qui-  
bus non debebant, 34 a; adde p.  
31 a, “*ad quamdam magni flumi-  
nis ripam*,” et *pro L. Manil.* 9.,  
“*ut eorum collectio dispersa retar-  
daret*.” Nimirum ita saepissime  
fit, ut *adjectivum*, quod sensu qui-  
dem ad *nomen* aliquod secundae  
positionis pertinet, tamen *alius no-  
minis id ipsum regentis casum se-  
quatur*.  
*Administratio belli*, 77 b.  
*Aequalis temporum illorum*, 21 a.  
*Aequimaelium*, 88 b.  
**AESCHYLUS**, 34 a.  
*Aesopus*, histrio nobilis, 43 a.  
*Aestuans*, translate, 149 b.  
*Affectus*, 33 b.  
*Afferre*, 69 b, 163 a.  
*Affluere*, 32 b, 33 a.  
*Agere augurium*, 17 b; *rem*, 106 a;  
*quibus actis*, 143 a.  
*Agitatus animus*, 32 b.  
*Ain tandem?* 136 b.  
*Ait (quorum alterum) quid*, *alterum negat*, 160 b.  
*Ακροστιχίς*, 120 a.  
*Alere*, 131 b.  
**ALEXANDER APHRODISIENSIS**, 147 b.  
*Aliae*, genitivus, 85 b.  
*Alias*, 142 b.  
*Aliquantum*, 73 a.  
*Aliquis*, 100 a, 112 a, 118 b, 146 b.  
*Alligatus*, 65 a.  
*Alliteratio*, 135 b.  
*Alter uter*, 99 a, 152 b.  
*Amittere*, 15 a.  
*Anacoluthon*, 19 a, 21 a, 49 b, 64 a,  
67 a, 81 b, 102 a, 131 b, 135 b,  
145 b.  
*Angustiis urgueri*, 159 a.  
*Amicula*, 87 a.  
*Anile fati nomen*, 79 b.  
*Animalis sonus*, 130 b.  
*Animi vigilantes*, 59 a, 128 b; *animi hominum* . . . *mente permoti*, 68 a,  
ubi adde *de Off. i.* 23., “*Fortis vero animi et constantis est, non perturbari . . . sed praesentis animi uti consilio.*”  
*Animum advertere*, 55 b.  
*Anquirere*, 150 b.  
*Antecedens res pro consequenti*, 54  
b; et contra, *consequens pro antecedenti*, 133 b.  
*Antiptosis*, 34 a; vide *Adjectiva*.  
*Antiquior*, carior, potior, 106 b.  
*Anus delira*, 134 a.  
*Apium*, genitivus nominis *apes*, 39 b.  
*Apollinis opera*, 61 a.  
*Apparere*, pro simplici verbo sub-

- stantivo, 34 b.  
 Appositio negligens, 1 b, 73 a, 98 b ;  
 neglecta, 33 a ; exegistica, 110 a.  
*Apud*, 48 a.  
*Ἄργος λόγος*, 156 a.  
 ARISTOPHANES, 130 b.  
 ARISTOTELES, 44 a, 128 b, 142 b.  
*Argutus*, 84 a.  
*Arripere*, 83 a.  
*Assumere*, 117 b.  
*Assumtio*, 119 a.  
*At*, 131 a ; omissum, 45 a.  
 ATHENAEUS, 130 b (bis).  
*Atque, atque ita*, 28 a ; *ἐν ἀλλα δνοῖν*,  
 36 b ; in amplificatione gemina-  
 tum, 121 b.  
 Atratus, fluvius Italiae incognitus,  
 52 b.  
 Attractio, 25 a, 43 a, 90 a, 107 a, 111  
 a, 116 b, 119 a, 120 a, 133 b, 142  
 a, 152 a, 159 b.  
*Audire aliquid possumne?* 143 a ;  
*aliquem in aliqua re*, 143 b ; *ad ali-  
 quid positum*, 144 a ; *audiat*, au-  
 dire velit, 146 b.  
*Aveo*, codd. *habeo*, 129 a.  
*Avium* pro dissyllabo, 58 a.  
*Augurium agere*, 17 b.  
 AUGUSTINUS, 123 a, 145 a.  
 AURELIUS (M.) ad Frontonem, 121 b.  
*Auspicato*, 102 b.  
*Auspicia habere*, i. e. jus auspicio-  
 rum, 50 a ; *esse in auspicio alicui*,  
 103 b ; *auspicium ex acuminibus*,  
 105 b.  
*Bene promittere*, 88 a.  
*Bona nomina*, 55 a (bis) ; *bonae co-  
 gitationes*, 64 b.  
*Βραχυλογία*, 6 a, 19 a, 28 b, 32 b, 33  
 a, 34 a, 34 b, 47 b, 54 a, 59 b, 73  
 a, 98 b, 100 a, 102 b, 111 a, 111 b,  
 112 b (ter), 128 a, 133 b, 142 b,  
 143 a, 148 b, 154 a, 156 a, 165 a.  
*Bruma*, 94 b.  
*Cadere, convenire*, 127 a.  
 CAESAR, 37 a, 47 a, 107 b, 109 a.  
*Calumnia*, 158 a.  
*Capere calamitatem*, 15 b.  
*Caput est (quod)*, 123 b.  
 CATO, 121 b.  
 CATULLUS, 146 b.  
*Causa nostra*, 127 a.  
*Cautus*, 80 b.  
*Certe, post ut concessivum*, 103 b ;  
*non certe non*, 113 a.  
*Certus*, 47 a, 57 a, 122 a, 132 a.  
*Ceteri, praepostere*, 3 b, 116 a.  
 CICERO, *ad Herenn.*, 159 b ; *de In-  
 vent.*, 31 b, 103 a, 119 b, 125 a ;  
*de Orat.*, 14 a, 20 a, 33 b, 39 b, 45  
 b, 75 b, 76 b, 86 a, 144 a, 156 b ;  
*Brut.*, 7 b, 28 a, 31 a, 71 a, 88 b,  
 110 a, 144 a, 151 a ; *Orat.*, 27 a, 35  
 a, 36 a, 36 b, 101 b, 137 b, 150 a ;  
*Topic.*, 149 b, 152 a, 164 a ; *Par-  
 tit.*, 72 b, 157 a ; *de Opt. Gen.*  
*Orat.*, 128 a ; *pro Domo*, 100 b ; *An-  
 tequam iret*, 46 a ; *pro Rosc. A.*, 81  
 b, 100 b ; *in Caecil.*, 66 b, 156 b ;  
*in Verr.*, 15 b, 33 b, 59 b, 142 b,  
 152 b, 156 b ; *pro Caec.*, 30 b,  
 156 b, 157 b ; *pro L. Manil.*, 21 b,  
 66 b, 113 a ; *pro Cluent.*, 72 b, 111  
 a ; *de L. Agrar.*, 102 a ; *pro Rab.*,  
 115 b ; *in Catil.*, 10 b, 12 a, 37 b,  
 40 b, 53 b ; *pro Mur.* 55 a (bis),  
 129 a ; *pro Sulla*, 121 a ; *pro Arch.*,  
 3 b, 43 a ; *pro Planc.*, 59 b ; *pro  
 Sext.*, 32 a (bis) ; *in Vatin.* 90 a ;  
*pro Scauro*, 55 a ; *pro Cael.*, 74 a,  
 156 b ; *in Pison.*, 32 a, 66 a, 66 b,  
 158 b ; *pro Mil.* 3 b, 4 b, 6 a, 14 b,  
 53 b, 67 a, 78 b, 83 a, 123 b, 128  
 a, 134 a, 156 b ; *pro Rab. Posth.*,  
 21 a ; *pro Ligar.*, 101 a, 103 b, 156  
 b ; *pro Deiot.*, 106 b, 127 a ; *Phi-  
 lipp.*, 6 a, 6 b, 33 b, 52 a, 63 a, 66  
 b, 86 a, 90 a, 103 b, 134 a ; *ad  
 Fam.*, 2 a, 6 a, 22 a, 32 a, 36 a, 43  
 b, 49 a, 57 a, 69 b, 106 a, 115 b,  
 129 a, 143 a, 161 b ; *ad Att.*, 6 a,  
 18 b, 24 b, 31 b, 33 b, 40 b, 42 b,  
 57 a, 60 a, 66 b, 109 a, 110 a, 112  
 a, 112 b, 123 b, 143 b, 149 b, 165  
 a ; *ad Quint. fr.*, 72 b, 156 b ; *ad  
 Brut.*, 66 a ; *Acad.*, 19 a, 25 a, 45  
 b, 77 a, 78 a, 101 a, 121 a, 129 a,  
 131 b, 137 a, 142 b, 144 a, 153 a,  
 155 b, 159 b, 160 b, 161 a ; *de Fin.*  
 4 b (bis), 6 b, 27 a, 28 a, 33 b (bis),  
 40 a, 43 b, 60 b, 63 b, 66 b, 72 b,  
 73 a, 75 b, 85 b, 92 a, 96 a, 97 a,  
 98 a, 100 b, 101 b, 103 b, 118 a,  
 121 a (bis), 125 b, 129 a, 134 b,  
 137 a, 138 b, 144 a, 152 b, 153 a,  
 154 b, 156 b, 160 b, 165 a ; *Tusc.*,  
 1 b, 20 a, 25 a, 27 a, 30 a, 32 b, 33  
 a, 43 a (bis), 55 b, 59 a, 65 a, 65

- b, 66 b, 74 b, 75 a, 75 b, 88 b, 103  
 b, 12 a, 117 b, 118 b, 134 a, 137  
 a, 137 b (bis), 138 b, 144 a, 146  
 a, 150 a, 155 a, 156 b, 165 b;  
*Parad.*, 63 a, 159 b; *de Rep.* 6 b,  
 21 b, 32 b, 33 b, 37 b, 42 a, 43 b,  
 53 b, 75 a, 79 a, 84 b, 103 b, 143  
 a, 144 a (bis), 158 a, 159 b; *de  
 Leg.*, 2 b, 15 a, 21 a, 45 a, 56 b  
 (bis), 61 a, 65 b, 72 b (bis), 84 a,  
 89 b, 106 b, 107 a, 121 a, 144 a,  
 153, a; *de Nat. Deor.*, 1 a, 4 a (bis),  
 4 b, 5 a, 5 b (bis), 6 a (bis), 7 a,  
 8 b, 10 a, 15 a, 15 b, 16 a, 17 b, 20  
 a, 21 a (bis), 25 b, 27 b, 29 b, 30  
 a, 33 a (bis), 34 a, 35 a, 38, b, 39  
 b, 40 b, 41 a, 41 b (bis), 43 b, 45  
 a (bis), 45 b, 46 b, 50 a (bis), 50  
 b, 51 b, 52 a, 53 b, 56 a, 57 a, 58  
 b, 59 a, 60 a, 62 a (bis), 62 b (bis),  
 65 b, 66 a, 66 b, 68 a, 69 a (bis),  
 70 b, 72 a, 73 a, 74 a, 74 b, 76 a,  
 79 a, 79 b, 80 b, 81 a (bis), 81 b,  
 83 a (bis), 86 b, 87 a, 89 a (bis),  
 89 b, 90 a, 94 b (bis), 96 a (bis),  
 97 a (bis), 97 b, 98 b, 101 b, 103 a,  
 104 b, 105 a (bis) 105 b (bis), 107  
 b, 108 b, 110 a, 113 a (bis), 113 b  
 (bis), 115 b (bis), 116 b (bis) 117  
 a (ter), 118 b, 119 a, 119 b, 121 a  
 (bis), 121 b, 122 a, 124 b, 125 a  
 (bis), 125 b, 126 a, 127 a (bis),  
 128 b, 129 a, 129 b, 130 a, 130 b,  
 131 a, 132 a, 132 b (bis), 133 a,  
 133 b, 134 b (ter), 135 b, 136 a,  
 136 b, 137 b (bis), 138 b, 142 b  
 (bis), 143 a, 145 b, 146 a (bis),  
 147 a, 151 b (ter), 152 b, 153 b,  
 154 a, 154 b, 159 a, 159 b (bis),  
 160 a, 161 a (bis), 161 b, 163 a,  
 165 a, 165 b; *de Senect.*, 6 a, 58  
 b, 65 b, 98 a, 101 b, 133 b; *de  
 Amic.*, 83 b, 103 a; *de Off.*, 2 a, 5  
 a, 6 a (bis), 17 b, 21 a, 28 a, 42 a,  
 46 b, 51 b, 59 b, 65 b, 67 b, 72 a,  
 74 a, 74 b, 75 a, 75 b, 81 b, 100 b,  
 113 a, 121 a, 124 a, 130 a, 137 a,  
 137 b, 138 b, 150 b, 156 b, 157 b,  
 160 b; *Hortens.*, 59 a; *de Univ.*,  
 87 b.  
*Clarare*, 12 b.  
**CLAUDIANUS**, 99 b, 122 a.  
*Caelo*, multa fiebant de, 49 b; *coelum*  
*discessisse visum*, 51 b; *coeli plau-*  
*gas scrutari*, 84 b.
- Coepio*, cum accusativo, 24 b.  
*Cogere*, 14 b, 147 a.  
*Cogito*, cum infinitivo, 135 b.  
*Cohibere*, 151 b.  
*Collocare*, 40 b.  
*Committere*, 89 b.  
*Communia jura migrare*, 5 a; *com-*  
*munis vita*, 45 b.  
*Comparativus pro superlativo*, 35 b;  
 duplex, 128 a.  
*Concidere*, 40 b.  
*Concubia nocte*, 30 a.  
*Concursatio somniorum*, 136 b.  
*Conditiones*, a condendo, 62 a.  
*Confiteri*, 156 a.  
*Confusus*, cum abl. loci, 63 a.  
*Conjecturam ducere*, 136 a.  
*Conlineare*, 125 b.  
*Consecutio*, 62 a.  
*Consequens pro antecedenti*, 133 b;  
 et contra, 54 b.  
*Consequi*, var. lect., 127 a.  
*Considerare*, 144 a.  
*Constructio ad sensum*, 12 b.  
*Consulendae res*, 2 b.  
*Contactus morbo*, 87 b.  
*Contorquere*, 117 b.  
*Convertere*, absolute, 149 a, 151 a,  
 160 b.  
*Cornua commovere disputationis*,  
 translate, 82 b.  
*Corpus*, absolute, sc. animale, 96 b.  
*Credo*, ab initio membra positum,  
 53 b.  
*Cum fascibus laureatis*, 31 b; *cum*  
*primo prudens homo*, 37 a; *magna*  
*cum clade reip.*, 41 a; *esse cum*  
*muliere*, 157 a.  
*Curare magna cum cura*, 57 a.  
*Cursum coepit*, 24 b.  
**CURTIUS**, 34 a, 125 b.  
*Dare*, concedere, 60 b.  
*Dativus Graecus*, 2 a; *dativi usus*,  
 17 b, 81 b, 101 a, 121 b, 134 a,  
 134 b, 151 b.  
*De celo multa fiebant*, 49 b.  
*Decessio*, 87 b.  
*Declinare*, transitive, 165 a.  
*Decumus*, 100 a.  
*Deducere*, 95 b.  
*Deferre*, 122 b.  
*Délitra anus*, 134 a.  
*Demittere equum aliquo*, 39 a.  
*Deserere se*, 74 b.

- Deus*, singulariter et absolute, 127 b.  
*Dialectici*, absolute pro Stoicis, 152 a.  
*Dicere futura*, 46 a; *aliquid*, 118 b; *nihil*, 133 b.  
*Didymus*, 163 a.  
*Dies*, tempus, 69 b.  
*Diminutivorum usus*, 9 b; adde ii. 30., *de passerculis*.  
*Dirigere*, 14 b.  
*Dirimere*, 45 a.  
*Discedere*, de coelo, 51 b.  
*Discretiva structura*, 39 b, 44 a, 90 a, 113 a.  
*Desertus*, 56 b.  
*Disparilis*, 43 a.  
*Dissipare*, 40 b.  
*Disturbare*, 40 b.  
*Divinitas*, 107 b.  
*Divinus*, 34 b, 50 a.  
*Divitissimus*, 42 a.  
*Domi*, cum genitivo personae, 24 b.  
*Domum itio*, 37 a.  
*Donatus*, 94 b.  
*Dum pro donec*, 42 b.  
*Duplex structura*, 45 b, 46 b, 64 b, 73 a, 80 b, 81 b.  
*Educere*, absolute, sc. exercitum, 100 a.  
*Efferre*, enuntiare, 150 a.  
*Efficere*, cum accus. per attractio- nem, 107 a; *effectum est*, *ut*—, 137 a; *efficiunt ut . . . declinare*, 153 b; *causa efficit necessario*, 160 b.  
*Efficienter*, 159 b.  
*Effingere*, 113 b.  
*Effutire*, 121 a.  
*Ejicere*, 13 a, 137 b.  
*Ejusmodi*, *ut*—, 164 a.  
*Ellipsis*, 26 b, 27 a, 33 a, 39 a, 103 b (bis), 105 b, 117 a, 130 a, 131 a, 132 b, 135 b 143 a, (bis), 143 b, 153 b, 154 b.  
*Eloqui*, 161 b.  
*Ev διὰ δυοῖν*, 36 b, 43 a.  
*Enallage numeri*, 38 a, 129 a, 164 a; *generis*, 63 b, 123 b, 164 b; *modi*, 153 b; *vocis*, 154 a; *temporis*, 154 a.  
*Enim*, omissum, 27 a; ad id refertur quod eleganter reticetur, 65 a, 82 a.  
*ENNIUS*, 35 a, 35 b, 57 a, 57 b, 58 a, 120 a, 122 a, 122 b, 123 a, 131 a.  
*Eo*, adverbium, pro pronomine *etā*, 109 b.  
*Epanalepsis negligens*, 10 b, 70 a, 81 b, 84 a, 164 a.  
*Escendere*, 28 a.  
*Esse*, cum adverbio, 9 a, 24 a; *est* . . . *dicens*, 27 a; *non est*, *ut*—, 67 a; *sunt omnia*, *sed tempore absunt*, 67 b; *parendum fuit religioni*, quid inter *fuit* et *erat* cum participio passivo futuri temporis intersit, 103 a; *esse in auspicio alicui*, 103 b; *uno astro esse*, 114 a.  
*Et pro etiam*, 9 a, 16 a; *et*—, — *que*—, 19 b, 40 a; *cui alterum et respondere debebat*, 21 a, 64 a, 67 a, 145 b; *ὑστερον πρότερον*, 50 a; *refellentis*, 83 b; *et—scilicet*, 92 a; *discretivum*, 92 b; *pro atqui*, 101 b; *tamen et jam* 115 b; *non et*—, *nec*—, 117 b; *et—quidem amplificantis παρὰ προδοκίαν*, 121 a; *in interrogative*, *εἴτη*, 125 b; *et enim*, 134 b; *et*—, *neque tamen*—, 152 a; *et continuans ratiocinationem*, 155 b.  
*Etiam*, cum voce semel posita, bis intelligenda, 51 b; *pro non modo*—, *sed etiam*—, 137 b.  
*Evadere*, 125 b.  
*EURIPIDES*, 77 b, 129 a, 130 b.  
*Ex*, 115 b, 116 b, 126 b. /  
*Examen*, translate, 36 b.  
*Excors*, 87 b.  
*Excubare*, 51 a.  
*Exire*, cum accusativo, lectio varians, 35 a.  
*Exitium examen*, 36 b.  
*Exitus*, 81 a.  
*Experiri vim alicujus*, 29 a.  
*Explicare*, 89 b.  
*Exsistere*, 19 a, 31 a, 55 b.  
*Exta interpretari*, 7 a.  
*Extra*, praeter, 36 a.  
*Facere pecuniam*, 59 b.  
*Familia Peripateticorum*, 73 a.  
*Familiaris pars*, in extis, 84 a.  
*Fata Calchantis*, 99 a.  
*Favere linguis*, 55 a; translate de gallis, 96 a.  
*Ferire medium*, 162 a.  
*Ferus*, 122 b.  
*FESTUS*, 26 b, 35 b, 57 b, 103 b,

- 104 a, 106 a.  
*Fingere*, 132 b.  
*Finitus*, definitus, 157 a.  
*Formare*, 99 b.  
*Flectere promontorium*, 112 b.  
*Flexiloquus*, 122 b.  
*Florentissima castra*, 39 a.  
*FLORUS*, 111 b.  
*Fluere*, 52 b.  
*Formae*, imagines, 133 b.  
*Fors fortuna*, 79 b.  
*Fortassis*, lectio varians, 32 a.  
*Fulgores*, 58 b, 89 b, 90 b.  
*Fundere*, 83 a.  
*Futuri usus*, 120 b, 138 a, 155 a, 155 b, 159 b.  
  
*Gallinae*, pro genere gallinaceo, 96 a.  
*GELLIUS*, 1 b, 6 b, 7 b, 38 a, 64 b, 81 a, 93 b, 114 a, 121 b, 122 b, 134 a, 141 b, 142 b, 146 a, 149 b, 155 a, 155 b, 163 a.  
*Generatus*, 11 b.  
*Genitivi usus*, 31 a, 33 a, 36 a, 42 a, 46 b, 51 a, 61 b, 62 a, 81 a, 88 b, 99 a, 101 a, 104 b, 105 a, 131 a, 135 b, 138 b, 161 a, 162 a.  
*Gerere aerumnas*, 22 a.  
*Graecismus*, 35 b, 70 a, 113 a, 121 a.  
*Gratissimum et tuorum omnium simile*, 143 b.  
  
*Habeo*, codd. pro *aveo*, 129 a.  
*Habere*, 33 b, 44 b, 92 b, 114 a, 132 a, 152 b.  
*Haerere*, translate, 129 a.  
*HERODOTUS*, 122 b.  
*Hiatus post quartum trochaeum tetrametri*, 15 b.  
*Hic*, adv., de tempore, 144 a.  
*Hic*, pron., δεικτικῶς, 18 b, 28 b, 32 b, 74 a, 115 b, 148 a.  
*Hiccine*, 85 b.  
*Hieronymus*, 148 a.  
*HIETIUS*, 107 a.  
*HOMERUS*, 27 b, 46 a (bis), 46 b, 82 b, 106 b, 108 a, 163 a.  
*Homo*, quisquam hominum, 74 b; humanum genus, 116 a, 118 a; *hominum more*, 130 b; *ne homines physici irrideamur*, 154 b.  
*HORATIUS*, 3 b, 14 b, 27 b, 36 a, 36 b, 68 a, 89 b, 103 b, 104 b, 130 a, 165 a.  
*Hostis et hospes*, 106 b.  
  
*Jacere*, translate, 118 a.  
*Jam non*, 36 b; *jam pro etiam*, 86 a, 112 a, 129 b, 153 a; *jam—ne—quidem*, 87 a; *tamen et jam*, 115 b; *jam ut*, 123 b.  
*Igitur*, 107 b, 133 a, 161 b.  
*Ille*, cum adverbio *quidem*, 20 b; in oratione obliqua, 21 a; de facile noto sed non nominato, 21 b; *illa* pro duabus brevibus, 35 b; *illa* pro *illud*, 70 a; *ille*, absolute, sc. cum quo agimus, 76 a; negligenterius pro nomine, 133 a; ordine enuntiationis antecedens suum praecurrentis, 141 a.  
*Imperet*, imperare velit, 130 b.  
*Imperfecti usus*, 41 a (bis), 81 a, 101 a, 106 b, 113 b, 126 a.  
*Impertire*, 89 a.  
*Impetrare*, 2 b, 15 a, 87 a.  
*Imponere*, absolute, sc. navibus, 109 a.  
*In*, pro brevi, ante consonantem, 24 a; *influere in—*, 41 b; cum abl. pro acc., 57 a; *in equo vehi*, 134 a; *in aliqua sententia esse*, 161 b.  
*Incidere*, 112 a, 128 b, 149 b.  
*Inculcare*, 146 a.  
*Indicativus pro subjunctivo*, 127 a, 136 b.  
*Individualia*, 151 b.  
*Induere*, 89 b.  
*Infans*, 42 a, 64 b.  
*Infinitivus per attractionem*, 101 a, 134 b; a verbo *velit* involuto pendens, 130 b; *habemus dicere*, 132 b.  
*Influere in—*, 41 b.  
*Informare*, 133 a.  
*Inimica pars*, in extis, 83 b.  
*Inquit*, sc. aliquis, 103 b.  
*Inscititia et inscientia*, 63 a, 161 a.  
*Insequi*, 99 a.  
*Insolenter*, 53 b.  
*Instantia*, (nomen substantivum) 155 b.  
*Interitio*, 142 b.  
*Intermundia Epicuri*, 89 a.  
*Interpretari exta*, 7 a.  
*Interpretationes lectoris causa additae*, neque vero ad dialogum pertinentes, 16 a, 124 a; quasi abundantes, sed frustra suspectae, 38 b, 153 b.  
*Interrogationum usus*, 51 a, 62 a, 84 a, 103 a.  
*Interventor*, 143 a.

- Invenire nomen*, 16 b.  
*Invisus*, non visus, 24 a.  
*Inusitatus*, 49 b.  
*Ipse*, 101 a.  
*Is, ea, id*, pronominis usus, 39 b, 41 b, 80 a, 93 a, 137 a, 143 a, 149 b, 159 b, 161 b, 164 b; omissum, 153 b.  
*Ita—, si—, 6 a; atque ita, 28 a; non ita, non valde, 63 b; ita, cui respondere debebat ut, sed mutata structura, 64 b; abundans, 80 b; praecise, 83 b; itaque, atque ita, 103 a; perinde—, utcumque—, ita —, 111 a.*  
*Item, 73 a; neque—, itemque—, 164 a.*  
*Jubere*, omisso accusativo ante infinitivum, 41 a.  
*Juge auspicium*, 106 a.  
*JUSTINUS*, 43 b, 69 a, 131 b, 138 b.  
*JUVENALIS*, 3 b, 101 b, 109 a, 144 b.  
*Labes*, lapsus terrae, 41 b.  
*Labi pro collabi*, 124 b.  
*Laqueus*, translate, captiosum argumentum, 146 a.  
*Laureati fasces*, 31 b.  
*Liber est, nescire ea melius*, i. e. liber est eo argumento, 117 a.  
*Linquere*, relinquere, 59 b.  
*LIVIUS*, 2 b, 24 b, 25 b, 26 a, 26 b, 27 a (bis), 29 a, 30 a, 31 b, 39 a, 41 a, 48 b, 53 b, 54 a, 54 b, 65 a, 69 b, 82 b, 84 a, 85 b, 93 b, 96 a, 103 b, 104 b, 105 b, 107 a, 109 a, 125 b, 130 b, 155 a, 160 a.  
*Locus*, quaestio philosophiae, 5 a, 102 b, 105 b, 123 b.  
*LONGINUS*, 33 a.  
*LUCANUS*, 83 b.  
*LUCRETIUS*, 23 b, 60 b, 89 b, 91 a (bis), 97 b, 110 b, 151 b.  
*Ludere*, 94 b.  
*Lunae tractus*, 114 a.  
*Lux*, aether, 25 a; luce solis clariss, 4 b.  
*Magno opere*, 60 b.  
*Magnum*, difficile, 134 b.  
*Mala pugna*, 95 a.  
*Male pugnatum*, 65 a.  
*Malle quidvis quam—*, 124 a.  
*Manere*, noctem exigere, 14 b.  
*MANILIUS*, 114 a.  
*Marii monumentum*, 32 a.  
*MARTIALIS*, 125 b.  
*Med pro me ob hiatum*, 36 a.  
*Medium ferire*, 162 a.  
*Megaricus et Megareus*, quid inter sit inter, 147 a.  
*Μέιωσις*, 36 a.  
*MELA*, 145 a.  
*Melius*, ironice, 87 a.  
*Memoria*, historia, 7 b.  
*Mentiens*, sc. syllogismus qui dicitur, 77 a.  
*Mentiri*, translate, 8 b.  
*Meridiatio*, 134 b.  
*Metonymia*, 36 b.  
*Metus mentis*, 22 a.  
*Micans*, 57 a.  
*Micare*, 109 a.  
*Migrare*, 5 a.  
*MINUCIUS FELIX*, 82 b, 101 b, 103 a.  
*Mire*, cum verbo substantivo, 9 a.  
*Mitificatus*, 96 a.  
*Mittere*, omittere, 20 b; missa, commissa, 35 b.  
*Mobiliter*, 129 b.  
*Modo ait hoc, modo illud*, 33 a; modo, nuper, 53 b; non modo pro non dico, 66 a.  
*Modus*, mos, 46 a.  
*Momentis parvis*, 63 a.  
*Monere*, 80 a.  
*Moneta*, epitheton Junonis, 54 b.  
*Moratum atque molle poëma*, 36 a.  
*Movere seditionem*, 125 a.  
*Nasci*, 131 b.  
*Natura*, uterus, 136 a.  
*—Ne*, particula enclitica, otiose, post utrum, 125 a; cum voce semel posita, bis intelligenda, 130 a.  
*Nec—quidem*, 9 b, 60 a; nec discretivum, 44 a. Vide *Neque*.  
*Necessaria (non) ad commemorationum*, 66 a.  
*Negantia conjunctionis*, 44 a, 149 b.  
*Negare*, addita negandi particula, 106 a.  
*Negligentia orationis*, 1 b, 3 a, 7 a, 10 b, 29 b, 41 b, 68 a, 86 b, 88 b, 98 a, 98 b, 112 a, 122 b, 126 a, 131 b, 156 a, 164 a.  
*NEPOS*, 25 b, 51 a.  
*Neque in et—non resolvendum*, 36 a; neque—, que—, 37 a; et—, neque tamen—, 152 a; neque per

- epanalepsin iteratum, 164 a; *neque*—, *itemque*—, 164 a. Vide *Nec*.  
*Nervos contendere*, translate, 152 b.  
*Nescio quomodo*, 124 a; *nescio quis et nescio qui*, quid intersit, 131 b.  
*Neutrum pro feminino*, 63 b, 123 b, 156 a; *neutr. plur. pro sing.*, 70 a.  
**Nigidius**, 155 b.  
*Nihil novi*, 6 b; *nihil esse in aliqua re*, 56 b; *nihil esse alicui cum atquo*, 60 a; *nihil ut*—, 75 b; *nihil dicere*, 133 b.  
*Nimis inconsiderate*, 157 b.  
*Nisi forte*, 113 b, 161 a.  
*Nitidum Lyceum*, 12 b.  
*Nomen invenire*, 16 b; *erat in magno nomine et gloria*, 17 a.  
*Nomen repetitum pro pronomine*, 60 a, 68 b; *geminatum pro aliis*—, *alius*—, 146 a; *cum pronomine is iteratum*, 161 b.  
*Nominativi usus*, 119 a.  
*Non*, negans conjunctionem rerum, 44 a, 117 b; *non plus quam*, 59 b; *non ita*, non valde, 63 b; more Graeco positum, 113 a; *non certe non*, 113 a; *non quod* (*cum substantivo*)—, *sed quod*—, 133 a; *non et*—, *et*—, 149 b; *non sine*, 163 b; *non finale*, 165 a.  
**NONIUS**, 30 a, 35 a (bis), 84 b, 125 a, 158 a.  
*Noster*, ironice, 88 b; *causa nostra*, 127 a.  
*Nullus esse*, 132 b; *tam nulla*, 132 b.  
*Numquam*, ad *participium pariter ac verbum pertinens*, 128 b.  
*Nundinari*, translate, 101 a.  
  
*O*, exclamandi particula, extra versum posita, 122 a.  
*Observitare*, 2 a.  
*Occidere*, lectio varians, 20 b, 38 a.  
*Omne τὸ πᾶν*, 116 b.  
*Operta Apollinis*, 61 a.  
*Optare hoc quidem est, non disputare*, 165 b.  
*Optime*, formula ironiae, 25 a.  
*Optimis verbis*, 96 a.  
*Ore timere*, 58 a.  
*Ostensus*, 24 a.  
**OVIDIUS**, 2 a, 8 a, 8 b, 12 b, 36 b, 54 b, 57 a, 93 a, 106 b, 107 a, 113 a, 127 a.  
*Pacem petere*, 22 b.  
**PACUVIUS**, 130 b.  
*Par ut erat*, 121 b.  
*Parate*, 71 a.  
*Parenthesis soluta*, 156 a.  
*Pariter*, 86 a.  
*Participii usus*, 27 a, 40 a, 68 a, 128 b, 129 b, 134 b.  
*Partim*, 108 b, 121 a.  
*Partitivorum usus*, 52 a.  
*Patria vox*, 12 b.  
*Pavire*, 104 a.  
*Pecuniam facere*, 59 b.  
*Pedes, quod est ante*, 84 b.  
*Pellere*, 133 a.  
*Percepta artis*, 147 b.  
*Percussus*, 11 a.  
*Perfectum tempus ἀορίστως*, 91 a, 92 a, 104 b; *pro futuro*, 135 b.  
*Perfectus*, 117 b.  
*Perinde, utcumque*—, *ita*—, 111 a.  
*Persequi*, scribendo, 26 b.  
*Persica Dinonis*, 25 a.  
*Personae primae usus indefinitus*, 10 b.  
*Pertinere*, 146 b.  
**PETRONIUS**, 130 b.  
**PHILEMON**, 82 b.  
*Phrygii cantus*, 60 b.  
*Physica subtilitas disputandi*, 53 b.  
*Physice dicere*, 66 b.  
*Placet igitur*—? 107 b.  
*Plagam accipere*, translate, 152 b.  
*Plagas coeli scrutari*, 84 b.  
**PLATO**, 32 a, 33 a, 43 a, 45 b, 75 a, 107 b.  
**PLAUTUS**, 15 a, 22 b, 23 a, 24 b, 35 a, 57 a, 126 b, 160 a.  
*Plena sus*, i. e. *gravidia*, 54 b; *pleni enectine*, 135 a.  
*Pleonasmus*, 38 b, 64 a.  
**PLINIUS (H. N.)**, 42 b, 60 a (bis), 63 a, 86 a, 106 a, 109 a, 144 a, 145 a.  
**PLINIUS (Paneg.)**, 101 b.  
**PLOTINUS**, 92 b.  
*Pluere*, 96 b.  
*Plus (non) quam*, 59 b.  
**PLUTARCHUS**, 33 b, 51 a, 77 b, 94 a, 107 b.  
*Poëma moratum atque molle*, 36 a.  
*Pompeia curia*, 81 b.  
*Pompeii porticus*, 146 b.  
*Ponere, proponere*, 143 b.  
*Positivus pro comparativo*, 127 b.

- Possum quasi pro possem*, 94 b.  
*Post tertium diem*, 27 a.  
*Potentialis modus*, 45 a, 67 a, 94 a.  
*Praecursio visorum*, 164 a.  
*Praedicere*, monere, 25 b.  
*Praepositae causae*, 158 b.  
*Praepositio compositi vocabuli ad copulatum simplex vocabulum usque pertinens*, 1 a, 45 a, 124 b.  
*Praesagire*, 35 a.  
*Praesentis temporis usus*, 4 b, 13 a, 16 a, 21 a, 37 a, 42 b, 54 a, 78 b, 94 b, 96 a, 104 b, 105 b, 124 b, 149 b.  
*Praesto esse alicui*, 30 b.  
*Praesul*, 29 a.  
*Praevertere*, paeferre, 6 b.  
*Praevidere*, absolute, 34 b.  
*Pro*, 125 a.  
*Prodesse quam plurimis*, 72 a.  
*Profugere*, 54 a.  
*Projectus*, 29 b.  
*Prolabi*, 74 a.  
*Promittere bene*, 88 a.  
*Promontorium flectere*, 112 b.  
*Pronuntiatio*, enuntiatio, 155 a.  
*Propiora videre*, 23 a.  
*Proponere*, 148 a.  
*Proprius*, 76 b, 138 b.  
*Providere*, 42 a, 59 a.  
*Proximus lictor*, 31 b.  
*Pugna mala*, 95 a.  
*Putarem*, deberem putare, 97 a.  
*Pythagoricis cur interdictum fuerit, faba ne vescerentur*, 33 b.
- QUADRIGARIUS**, 134 a.  
*Quadrupes tardigrada*, 130 b.  
*Quam*, ironice, 105 b, 118 b; *quam ex quantum adsumendum*, 111 b.  
*Quamquam*, 148 a, 151 a.  
*Quam vellet*, 29 a.  
*Quando*, pro *tum quum*, 102 a.  
*Quatuor pro dissyllabo*, 58 a.  
*—Que*, in transitione, 4 a; *et—, —que—*, 19 b, 40 a; *neque—, —que—*, 37 a, 111 b; *que cum voce semel posita*, bis intelligenda, 52 a, 59 a, 72 a; *rem et personam copulans*, 75 a; *pro potiusque*, 98 a; *tam—, que—*, pro *tam—, quam—*, 99 b.  
*Qui*, vide *Relativi usum*.  
*Qui vir et quantus!* 27 b.  
*Quidam*, 1 a, 98 b, 126 a.  
*Quidem*. *Si quidem*, 6 a; *cum pronome ille*, 20 b; *quum quidem*, 39 a; *pro quidem certe*, 62 b, 145 a; *hoc quidem*, 104 a.  
*Quies*, somnus, 25 b, 33 a, 51 a.  
**QUINTILIANUS**, 36 b.  
*Quisque*, iteratum pro *ipse*, 142 b; *quae quamque rem res consequatur*, 147 a.  
*Quod ad* pro una tantum syllaba apud dramaticos, 24 b.  
*Quod quoniam*, 128 b.  
*Quoque*, 126 b.  
*Quotiens*, 51 b.  
*Quum—, tum—*, 5 a; *quum quidem*, 39 a; *quum pro si*, 80 a, 82 a; *tempus notans*, cum indicativo, 87 b, 96 a; *utrumque notans et tempus et causam*, 112 b; *pro quando*, 122 b; *pro qui tum est quum*, 153 a.  
*Rabere*, 35 a.  
*Reapere*, 43 b.  
*Recte*, 89 a.  
*Recumbere*, 30 a.  
*Referre*, respondere, 157 b, 158 a.  
*Refertus*, 20 a.  
*Refrigere*, translate, 110 a.  
*Relativi usus*, 1 a, 5 b, 8 a, 12 b, 15 b, 25 b, 43 a, 60 a, 60 b, 65 a, 65 b, 69 a, 78 a, 85 b, 102 b, 110 a, 112 a, 124 a, 136 a, 137 a, 142 a, 142 b, 152 a, 154 a, 158 b.  
*Relegari*, translate, 165 a.  
*Reperire*, 36 a.  
*Repetitio poëtica a fine versus*, 8 b.  
*Res*, 28 b, 119 b.  
*Revocare aliquid ad conjecturam*, 100 b.  
*Revolvi eodem*, 78 a.  
*Saepe*, 112 b; *omissum*, 125 b; *et saepe alias, et—*, 142 b.  
*Saepes*, 8 a.  
*Saevus*, 122 b.  
*Salustius*, simplici litera *l*, 31 a.  
**SALLUSTIUS**, 2 b, 3 b, 9 a, 11 b, 17 a, 17 b, 19 b, 21 a, 22 b, 24 a, 26 b (*bis*), 27 a, 28 a, 29 a, 31 b, 33 a (*bis*), 36 b, 38 a, 38 b, 40 a, 41 a (*bis*), 41 b, 43 a, 51 b, 52 a (*bis*), 53 b (*bis*), 63 b, 65 a, 68 a, 72 a, 74 a, 75 a, 80 a, 80 b, 88 a, 93 b, 95 a, 96 a, 100 a, 107 a, 107 b, 109 b, 113 b, 124 a, 125 a, 127 b, 129 a, 133 b, 135 b, 138 b, 141 b, 149

- b. 154 a, 159 b, 161 a.  
*Salutis augurium*, 56 a.  
*Sapientipotens*, vox Enniana durius  
composita, 123 a.  
*Satietas*, 13 b, 32 b.  
*Satus, ūs*, 50 a.  
*Scilicet*, 90 b, 92 a.  
*Secundum quietem*, 25 b.  
*Sejugatus*, 37 b.  
*Semi-elisio*, 12 b.  
*Seminum vis*, 113 a.  
*Senatu pro senatui*, 54 a.  
*SENECA*, 43 b.  
*Sententia, esse in aliqua*, 161 b.  
*Serens causa causam*, 155 a.  
*Servare*, verbum augurale, 19 a,  
57 a.  
*Servius*, 46 b, 57 a.  
*Si modo*, 1 a ; *si quidem*, 6 a, 128 a ;  
ita—, *si*—, 6 a ; *si quis* cum indicativo, 23 b ; *si* cum subjunctivo  
in re certa, urbanitatis causa, 108  
a ; *quod si*, 126 a ; *si* concedentis,  
147 a.  
*Silentium* in re augurali, 103 b.  
*Similia quam sint ista*, vide, *quaeso*,  
ironice, 118 b ; *simile tuorum omnium*, 143 b.  
*Simulacra*, translate, 56 a.  
*Sinistra*, 108 a, 108 b.  
*SISENNA*, 30 a, 39 a.  
*Sol albus*, an luna apud Ennium,  
58 a.  
*Sola loca*, 31 b.  
*Solertia*, simplici litera *l*, 82 a.  
*Solitudo Aegyptiorum*, 81 a.  
*Soluta (mens) somno*, 68 a.  
*Somniūm pro somniorum*, 131 a.  
*SOPHOCLES*, 32 b, 84 b, 85 b.  
*SPARTIANUS*, 125 b.  
*Spectare*, 106 b.  
*Sperare*, 149 b.  
*Subjicere*, 56 b.  
*Subitus pro subito*, 39 a, 101 a.  
*Subjunctivi usus*, 4 b, 5 a, 13 a, 95 a,  
97 a, 108 a, 113 a, 114 a, 118 a, 118  
b, 130 b, 137 a, 146 a, 146 b, 151 a.  
*SUETONIUS*, 24 b, 37 b, 56 a, 63 a, 81  
b, 119 b, 131 b.  
*Suidas*, 30 a.  
*Sullae libri historici*, 39 a.  
*Sumere*, consumere, 22 b ; vox dia-  
lecticorum, 116 b.  
*Summus*, 26 a.  
*Superlativi usus*, 21 a.  
*Superstitiosus*, 35 b, 122 b.  
*Suscipere*, 5 a, 109 a, 151 b.  
*Suscitare*, 46 a.  
*Suspicere*, 137 b.  
*Spirantes curae*, 22 b.  
*SYMMACHUS*, 46 b.  
*Synchysis*, 11 b, 108 b.  
*Synesis*, 12 b, 38 b, 85 b, 130 b.  
*TACITUS*, 4 a, 17 a, 39 a, 55 a, 93 b,  
101 b.  
*Tages*, 93 a.  
*Tam—,—que—, pro tam—, quam—*,  
99 b.  
*Tamen post ut pro etiamsi*, 33 b.  
*Tecta an tesca ?* 26 b.  
*Temerariae partes animi*, 33 a.  
*Temperare* cum infinitivo, 23 a.  
*Tempestas*, dies, 27 b.  
*Tempus anni*, 110 b.  
*Tenere dominatu*, 28 a ; *teneri*, obti-  
neri, 161 b.  
*Tenuitas*, 49 a.  
*TERENTIUS*, 34 b, 35 a, 36 a, 79 b, 94  
b, 111 a, 121 b.  
*Terrigenus*, 130 b.  
*Tertullianus*, 51 a, 130 b.  
*Testis est—*, 46 b.  
*Texere classem*, 36 b.  
*TIBULLUS*, 99 b.  
*Timere* cum accusativo per attractio-  
nem, 121 a.  
*Tmesis*, 138 a.  
*Tractatio*, 76 b.  
*Tractus lunae*, 114 a.  
*Trahere pro attrahere*, 45 a ; *conjec-  
tura trahi*, 125 a.  
*Transitio a recta oratione ad obli-  
quam, et contra*, 29 a, 40 a, 118 a.  
*Translatio notabilis*, 82 b.  
*Tu, in interrogatione*, 104 b.  
*Tum*, 53 b.  
*Turpius quid hōc, quam quod— ?*  
45 b.  
*Tzetzes*, 43 b.  
*VALERIUS FLACCUS*, 61 a.  
*VALERIUS MAXIMUS*, 16 b, 29 b, 32  
a, 47 a, 48 b, 59 a, 63 a, 145 a  
(bis), 145 b.  
*VARRO*, 31 a, 35 a (bis), 43 a (bis), 65  
a, 75 a, 84 b, 88 b, 122 a, 123 b,  
125 a, 157 a.  
*Vatium*, 61 a.  
*VELLEIUS*, 36 b, 85 b.

- Venerius jactus*, 13 a.  
*Vero*, 55 b, 80 a, 130 a.  
*Verruncent bene*, 24 b.  
*Versus ὄμοιοτέλευτοι*, 12 a, 36 a.  
*Verum*, 91 b.  
*Vesperus*, 55 a.  
*Vias optimarum artium tradere*, 72 b.  
*VICTOR, AURELIUS*, 37 b.  
*Videre* cum accusativo attractionis,  
 116 b; *quoad videbitur*, 95 a;  
*vide, ne non—*, 159 a.  
*Vigilantes animi*, 59 a; *cogitationes*,  
 134 a.  
*VIRGILIUS*, 2 a, 8 a, 22 b, 30 a, 36  
 b, 46 b, 57 a, 63 a, 70 a.  
*Vis seminum*, 113 a; *erroris*, 115 a.  
*Visio*, *imago*, 125 a.  
*Vita communis*, 45 b, 110 a; *vitae  
 ratio*, 60 b.  
*Vitium* in re augurali, 17 b.  
*Ulctus*, *ultus*, 57 a.  
*Unus*, *solus*, 3 a.  
*Volubilitas fortunae*, 78 b.  
*Urbem philosophiae prodere*, 88 a.  
*Urgueri angustiis*, 159 a.  
*"Υστερον πρότερον*, 50 a.  
*Ut* concedentis, 6 a, 33 a, 86 a, 103  
 b, 134 a, 147 a; *pro postquam*, 30  
 a; *ut, si—*, 45 a; *ut postpositum*,  
 55 b; *cum subjunctivo, loco infinitivi*,  
 66 b, 100 b (bis), 153 a; *pro  
 quam cum superlativis*, 72 b; *illud  
 —, ut—*, 74 b; *nihil ut—*, 75 b;  
*ut pro ita ut tamen*, 89 b; *pro quum*,  
 99 a; *iteratum, quasi ut—, ut in-  
 quam*, 151 a; *efficitur, ut . . . de-  
 clinare*, 153 b; *ut ne*, 156 a; *non  
 ut pro non quod*, 160 a.  
*Utrum* *pro utrumvis*, 122 b.  
*Utrum—ne—, an—*, 125 a.  
*Zeugma*, 19 b, 51 b, 92 a.







LIBRARY OF CONGRESS



0 003 074 235 7